

·FROM·THE·FUND·BEQUEATHED·BY·
1819·ROBERT·CHARLES·BILLINGS·1899
TO THE
·BOSTON·MEDICAL·LIBRARY·
Nº 8 THE FENWAY
S·L·S - 1903

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

http://www.archive.org/details/demilitisincastr00porz

DE MILITIS IN CASTRIS SANITATE TUENDA.

AUCTORE

LUCA ANTONIO PORTIO

Neapolitano.

Editio Noviſſima prioribus longe correctior.

Acceſſit

JOHANN. VALENTIN: WILLII

TRACTATUS

DE MORBIS CASTRENSIBUS.

Curante

JOANNE CHRISTOPHORO RIEGER.

HAGÆ COMITUM.

Apud PETRUM GOSSE, Bibliopolam.

M DCC XXXIX.

E Libris Tho: Howell. 1821.

20080 Bi. 60
33. A. 140.
BOSTON MEDIC[AL]
DEC 4 1922

PETRUS GOSSE

Bibliopola

LECTORI.

DEnuo tibi recuſum ſiſto LUCÆ ANTONII PORTII, *Medici Neapolitani*, aureum de Militis in Caſtris Sanitate Tuenda libellum, mole quidem parvum, ſed qui utilitate ſua inſigni merito omnium laudes exiſtimationemque conſecutus eſt. Quantum enim ego novi, poſt primam Editionem Viennæ Auſtriæ anno præteriti ſeculi octogeſimo quinto factam, bis typis evulgatus fuit Neapoli; ſed mendis typothetæ uberrimis refertus. Operam dedi, ut quam curatiſſima eſſet hæc mea editio. Cui adjunxi JOH. VAL. WILLII, *Medici Dani*, eximium omnino de morbis caſtrenſibus Tractatum jam diu deſideratum. His Tu utere, & fave.

ILLUSTRISSIMO AC EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO COMITI

RUDOLPHO

DE

RABATTA,

Libero Baroni Dornbergenſi, Domino Canalenſi, Camerario, Conſiliario, Militiæ, Generali Plenipotentiario, Commiſſario Generali equitum, & Colonello Suæ Majeſtatis Cæſareæ.

P*Rincipibus, populisque omnibus, qui cum finitimis bellum gerunt, incolumitatem exercituum maximæ curæ eſſe debere, clarum adeo eſt, ut a nemine quidem ſanæ mentis in dubium poſſit revocari.*

cari. Nam melius eſſet ſe dedere, quàm militum delectus habere, ac poſtmodum de exercituum incolumitate non eſſe ſolicitum. Quòd ſi malorum omnium, quæ mortalibus accidere poſſunt, peſſimum ſit, in inimicorum manus ſervitutemque devenire; bonorum omnium maximum erit exercituum incolumitas & robur: quibus ne dum defendamur, verùm etiam victis tandem hoſtibus leges dare valeamus. Cum autem Venetiis audiviſſem, quæ in Viennæ obſidione, & quæ in Strigonii aliarumque urbium expugnatione acciderunt; & anno, qui poſtea ſecutus eſt, ipſe præſens Viennæ cum audiverim, quanta clades fuerit noſtris circa Budam ab ægritudinibus; multosque obſervaverim a caſtris redeuntes ægros, non mediocrem me præſtare operam ſum viſus, ſi militem pro mea virili docerem, qua ratione, quantum humana prudentia promittere poteſt, a morbis in caſtris ſit immunis. Me autem præter alia multa non parùm incitavit judicium, quod ipſemet de præſenti opere habui ſemper aliquo modo utili futuro, etiamſi ſortè illud non fuiſſet omni ex parte ab-

ſolutum. Etenim hoc ipſum, utcunque monuiſſe militem de ægritudinum periculo ſive a cibis, vivendique ratione inſueta, ſive ab aquis, vel ab aëre, multos milites præſervat ab ægritudinibus. Hoc ipſum, monuiſſe de diſcrimine eſt veluti remedium quoddam: nam ipſa natura poſtea occultè docet noſtri conſervationem, & ut aliquid malorum effugiamus. Ac profectò quomodocunque de his loquatur, ſive bene, ſive male, aliis defendentibus artem dari poſſe præſervandi in caſtris militem a morbis, aliis negantibus, aliis affirmantibus me artem iſtam tradidiſſe, aliis hoc ipſum non admittentibus; multi erudiuntur, quorum pars ſervabuntur. Impoſſibile enim eſt in ſermonibus familiaribus militum & Ducum circa ea, quæ pertinent ad corporis robur infirmitatemque, (qualeſcunque illi fuerint) non multos aliquantò doctiores eſſe, & magis curioſos de ſui ſanitate tuenda. At iſtorum numerus in exercitibus Cæſaris nunquam eſt tam exiguus, qui quatuor vel tribus ſaltem millibus hominum non ſit major. Ac magni quidem intereſt, habere plus tria, vel duo ſaltem millia languen-

guen-

guentium hominum, quo fruſtremur ſpe victoriæ; vel habere tria, vel duo ſaltem millia validorum, & robuſtorum militum, qui vexilla dilacerent hoſtium, ſternantque ante pedes prætereuntium Ducum. Mihi igitur viſum eſt diſcrimina famæ & nominis mei in ore multitudinis & plebis omnino contemnere; dummodo multitudini utcunque & plebi proſim. Cæterùm de honeſtis doctisque viris hanc habeo ſententiam, alios eſſe, qui meliora norunt, ac propterea ſine iniquitate aut invidia aliquid addent his, vel aliquid detrahent, promentque ea, quæ ipſi meliora cognoverunt: atque ego, quicquid tandem de doctrina mea dicatur, ſaltem propter occaſionem, quam aliis dedi meliora docendi, & diligentiùs rem univerſam expendendi, cumulatiùs videbor militi conſuluiſſe. Alii autem ſunt, qui non poſſunt meliora docere; atque hi, ne fortè videantur iniqui, & maligni, abſtinebunt a maledictionibus; æquiores in me atque modeſtiores erunt; & imitabuntur potiùs, quàm contemnent conatus meos: ſcilicet quia non poſſunt ipſi meliora adducere.

Demum mecum ipſe quæſivi, cuinam opus hoc præcipuè nuncuparem, exiſtimans non minimum profuturum militi, ſi liber De Militis in Caſtris Sanitate Tuenda *digno viro fuiſſet conſecratus. Cumque multa in his animo agitaſſem, non equidem quisquam te dignior eſt viſus, Illuſtriſſime, & Excellentiſſime Comes. Neque in te tantùm conſideravi genus, & proavos; etſi ſciam, antiquitatem recolendo, multa me habere poſſe præclariſſime geſta, quibus referendo folia impleam laudum tuarum. Sed hæc tibi, totique familiæ communia ſunt. Verùm egotemet ipſum, & quæ rariſſima ſunt in hominum genere conſideravi in te; juſtitiam nempe, pietatemque tuam, animi corporisque ſtrenuitatem, & in bellis gerendis prudentiam; & futurorum, quæ maximi momenti eſt, providentiam. Cumque multa ſuſpiciam in Auguſtiſſimo, & Potentiſſimo Romanorum Imperatore* Leopoldo *I. hoc maximè ſuſpiciendum, & laudandum duco, quòd univerſi commeatus pro exercitibus ſuis tibi curam delegaverit; te rerum Virum prudentiſſimum his omnibus, quæ militi ſunt*

ex

ex uſu, præfecerit. Hoc enim omnino deſiderabatur, præeſſe hominem providum, qui ſciat, quæ neceſſaria ſunt militi ad vitam, roburque corporis conſervanda; qui turpiſſimum & ignominiæ plenum duceret, poſt ſiniſtros eventus providentiæ defectu dicere: non putabam, non credebam. Atque ideo magno militum, & aliorum Ducum, plauſu receptum fuit Cæſaris decretum, quo tibi viro providiſſimo alimentorum, & commeatuum omnium, pro exercitibus ſuis cura commiſſa fuit. Tibi igitur liber iſte meus De Militis in Caſtris Sanitate Tuenda *dicandus fuit: etenim nonniſi partem continet eorum, quæ tibi commiſſa fuere. Cumque cognoverim, placuiſſe Potentiſſimo Cæſari ea, quæ manu ſcripta legere dignatus eſt meorum laborum, adeo ut mihimetipſi dixerit,* Connoſcerete gli effetti della mia protezione; *mihi nunc blandior cogitans, quòd multo magis placebo eidem Clementiſſimo Domino, cum ille videbit me ſecutum in his judicium ſuum, dum tibi, cui inter alia multa commeatuum cura commiſſa eſt, librum* De Militis in Caſtris Sanitate tuenda

 cou-

conſecrare decreverim. Vale, Comes humaniſſime, atque prudentiſſime, teque, a quo exercituum, hoc eſt, a quo totius Europæ incolumitas pendet, incolumem ſerva: iterum, atque iterum vale.

Excellentiæ Tuæ

Humill.mus, & Addictiſſ.mus Servus
Lucas Antonius Portius.

PRÆ-

PRÆFATIO.

ANno elapſo, qui numerabatur milleſimus ſexcenteſimus octogeſimus tertius a Chriſti nativitate, Venetiis eram, ubi etſi peſtis, quæ priùs Auſtriam, Bohemiæque partem non minimam devaſtaverat, urbes plerasque Venetæ ditioni proximas tunc demum depopulari deſiiſſet, videbam tamen, haud dari prudentiſſimis patribus, animum relaxare a curis. Nam omnes fremebant indignabundi, & omnino ægrè ferebant, non leve auri pondus Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo Joanni Baptiſtæ Donato, Patritio Veneto, Turcas corraſiſſe ex cauſa, uti dicebant, quod campeſtris, ſive montana gens in Dalmatia (*Morlacchi* ſcilicet) neſcio quos Turcas ſpoliaverant, enecaverantque. Mente item agitabant, univerſam Europam trepidare metu propter magnum belli a Turcis apparatum: etenim multa centena millia militum collegiſſe Turcæ dicebantur, & ferro flammaque iis omnibus, qui a Chriſto appellarentur, extremum minitari. Res ipſa ne dum monebat, cogebat; movebatque omnem Sanctiſſimi Patris Innocentii XI. magnam ſolicitudinem, qui haud equidem cunctabundus, ut in cæteris, id maximè ſtudebat, atque a ſuis omibnus, & præſertim ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Cardinali Bonviſio ad Cæſarem Nuncio Apoſtolico (eximiæ ſanè ſpectatæque prudentiæ, & in negotiis gerendis magnæ dexteritatis viro) id maximè expoſcebat; atque id maximè inculcabat Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo Epheſi Pallavicino, apud Poloniæ Regem Nuncio Apoſtolico diſertiſſimo, ut Chriſtiani Principes inito invicem fœdere concordi ſtudio potentiſſimi

hoſtis

hoſtis conatus ſaltem deluderent, vimque ſaltem propulſarent. Sed Deus ter Optimus ter Maximus majora ſanè tanto Pontifici largitus eſt, quàm petiviſſet, ut paulò poſt univerſus terrarum orbis re ipſa manifeſtò cognovit.

Ac vix quidem inter Pontificem ipſum, Romanorum Imperatorem & Poloniæ Regem fœdus hujusmodi fuerat initum, cum audivimus Turcas, aliasque gentes Turcarum imperio ſubditas, non contentos Hungariæ finibus, auſos etiam Auſtriam invadere, & celeberrimam Auguſtiſſimi Leopoldi I. ſedem, Viennam nempe, obſediſſe. Sed graviſſimo hujusmodi metu poſt duos menſes virtute pientiſſimi, & feliciſſimi Regis Poloniæ Joannis III. & in magnis rerum omnium auguſtiis ſingulari prudentia, & ſtrenuitate Lotharingiæ Ducis Caroli V. nec non præſenti animo, copiisque Bavariæ Saxoniæque Ducum Sereniſſimorum, aliorumque fortiſſimorum virorum opera liberati fuimus.

Verùm alii nos exceperunt timores. Enimvero, præter varias febres, dyſenteria, quæ priùs non paucos perdiderat Turcas obſeſſosque moleſtaverat, in reliquos ſæviens Viennenſes, non ſivit, eosdem omni ex parte lætos eſſe tam magnæ partæ victoriæ, tantæque obſidionis ſolutione. Præterea, dum cogitarent Veneti Patres Turcæ, qui pluries ſancta ipſis fregerat fœdedera, ſolenniter bellum indicere, populariter cœpit in Venetos graſſari ſæva pleuritis, quæ plurimos mehercule e medio ſuſtulit.

In his autem omnibus magna ſine dubio fuit Venetorum pietas, ſapientia, atque animi tum magnitudo, tum fortitudo. Quorum, ut pleraque prætereain, digna tamen & ipſa, quæ ab iis, qui hiſtorias ſcribunt, poſteris tradantur: id, quod omnes tangit, prætereundum minimè eſt viſum, omnes, quotquot in Italia ſunt, Venetis omnino debere, peſtem crudeliorum morborum facilè crudeliſſimum in Italiam quoque tunc temporis non fuiſſe diffuſam. Sedulò enim atque diligenter ab Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Dominico Equite Contareno, apud Cæſarem Oratore,

admo-

admoniti Patres eorum, quæ in Germania gerebantur, montes atque vias omnes milite occupavere; excubiisque diſpoſitis, non minùs ac fieri ſolet in obſidionibus, præfectisque ad hæc Illuſtriſſimis & Excellentiſſimis viris, Bernardo Gradenico, Joanne Juſtiniano, Sereniſſimi Marci Antonii Ducis fratre prudentiſſimo, Nicolao Cornelio, cui Petrus Barbaricus, & poſtea Dominicus Mocenicus ſucceſſit, Joanne Baptiſta Gradenico, Franciſco Gritti, Alexandro Molino, nunc magnarum navium contra Turcas duce fortiſſimo, Andrea Valerio, in cujus locum poſtea Hieronymus Juſtinianus miſſus eſt, juſſisque aliis, quos ad hæc eadem iidem Patres præeſſe voluerunt, nequicquam in Italiam deferretur, in quo peſtis ſemina latere poſſent, prohibuere. Servataque ex eo immunis Italia eſt. Quod quidem difficillimum fuit in tanta montium finiumque longitudine. Finitimos autem in tam præſentis mortis metu tum re, tum conſilio, iidem Veneti non parùm adjuverunt.

Id autem mihi tunc temporis circa hæc cogitanti clariſſime innotuit, quod olim in peſte, quæ anno 1656. Neapolim penè delevit, obſervaveram; videlicet peſtis illius, ut & hujus, quæ florentiſſimam Germaniæ partem devaſtavit, non quidem cauſam, ut multi falsò opinantur, cœlitùs demiſſam aëri, quo utimur, fuiſſe commixtam, & perduraſſe peſtem, donec peſſima illa aëris conſtitutio ceſſaverit. Nam cum non liceat vita ſuperſtite aëris beneficio nos eſſe deſtitutos, quis potuiſſet quæſo ſe a tali peſte præſervare? quæve potuiſſet unquam, vel in poſterum eſſe poſſet hominum aut Principum prudentia, quæ induſtria, quæve diligentia, vel ut avertatur, vel ut citiùs deſinat, vel ne latiùs diffundatur peſtis malum?

At ego pluries audivi a quamplurimis, & non raró, cum de his ſermo incideret, mihi confirmatum fuit ab Illuſtriſſimo Marchione Philippo Nerlio, viro ſanè humaniſſimo, & nominis mei amantiſſimo, anno 1631. cum jam peſtis Florentiam graviter, ut ſemper ſolet, cœpiſſet affligere, virtute prudentiſſimi Magni Ducis Ferdinandi III. bonarum artium omnium cultoris,

toris, factum fuiſſe, ut ſub ipſis initiis malum exſtirparetur, & civitas ſervaretur. Quod non contigiſſet, ſi cœlitùs demiſſa per aërem peſtis illa fuiſſet.

Ferdinandus autem mandavit, ne ægrotans aliquis, neve ſani homines domo egrederentur; vias ſepſit, munivitque milite opportuniora urbis; nobilesque quamplurimos præfecit, qui accuratè viderent, ne quid mandatorum frangeretur. Atque ipſe, & alii, quos præfecerat, noctu diuque frequenter urbem circumibant; & ſciſcitabantur, an alicui eorum, quæ ad vitam vel ſuſtentandam, vel prorogandam neceſſaria ſunt, aliquid deeſſet. Ac ſi quis petiviſſet aliquid, cum prope eſſent currus rerum omnium, quorum uſus eſt, onuſti, illud accipiebant; funiculisque, quos traherent indigentes, illigabant: atque ſic omnibus ſubveniebatur. Notatæque ſunt domus peſte ægrotantium, circa quas major adhibita diligentia fuit; omnique ſtudio cautum, ne iſti, eorumque domeſtici, iique, qui his peculiariter aliquid miniſtrabant, ullo modo cum integris communicarent; ſed ipſi, ut meliùs potuiſſent, ſibi ſervirent ad invicem, miniſtrarentque. Cadavera rectiori via, & eo tempore ad ſepulcreta deducebantur, cum nullus omnino in via poſſet occurrere mortalium. Omnes enim monebantur priùs ſigno, ne vel etiam a feneſtris aſpicerent. Ignes etiam tunc temporis diſponebantur frequentes, quibus totius viæ illius aër perpurgaretur.

Hæc autem cum ſtudioſè multis diebus facta eſſent, mortui quidem nonnulli ſunt, ſed civitas ſervata eſt. Nam illi, quorum aderat ſuſpicio, an peſte laborarent, multorum dierum lapſu vel mortui, vel probati ſunt; quive fuerant integri, integri permanſerunt.

Neapoli verò etſi nulla adhibita hujusmodi diligentia fuerit (erat autem tunc Regni Prorex Comes de Caſtrillo) monialium tamen monaſteria quædam, cum tota urbs latiſſimè peſte vaſtaretur, a peſte fuere immunia. Ac Romæ non tantùm pleraque monaſteria, ſed etiam nonnullæ familiæ domusque civium nihil omnino a peſte paſſæ ſunt.

Peſtis enim (loquor autem de peſte Neapolitana

eique

cique ſimilibus) ejus naturæ eſt, ut niſi alios atque alios habeat homines, quos enecet, velut ignis, niſi alia atque alia ligna comburenda proxima habeat, ſpatio duorum circiter menſium ſponte ex ſe evaneſcat deſinatque. Eſt veluti fermentum, ex quo fit panis, cujus ſi tantillum accipias, quod novæ maſſæ farinæ ex aquis compactæ admiſceas, hæc omnia fermenti naturam acquirent; ita ut hac ratione fermentum futuros ſemper habeamus in uſus. Verùm ſi illud ſinas in loco, in quo nihil farinæ ſit, nihil aquarum, ejus vis certo temporis ſpatio ex ſe peribit; quodque reliquum ejus eſt, non erit amplius aptum fermentum panis: non minùs ac perit ignis, niſi alia atque alia ligna adjicias. Hic autem non loquor de prima ignis ſcintillula, ut neque de primo fermento, vel de primo peſtis exortu; ſed, quodcunque fuerit, dico, quòd, ſi commercia tollas integrorum & peſte laborantium hominum, extinguitur peſtis, non ſecus ac ignis non adjectis lignis: cujus quod ſupereſt, cinis eſt inutilis ad novum ignem ſuſcitandum. Atque ut hæc, ignis nempe, fermentum panis, & ſimilia, certam quandam habent atmoſphæram (nam ignis haud ea tantùm, quæ ſunt proxima, ſed etiam quæ in apto atmoſphæræ loco ſunt ligna, voracibus comburit flammis, & fermentum panis nonnihil inficit proximam farinam, cui nihil ipſius fuerat ante commixtum) ita pariter circa corpora, quæ peſte laborant, vel peſte enecata fuere, adeſt aër, cujus uſu ſanis hominibus peſtis poſſit communicari, & ſæpenumero communicetur. Ita etiam in pannis, aliisque ſimilibus halitus quidam ſervantur, peſtem qui valeant ſeminare. Quòd ſi atmoſphæra iſta caveatur; pannorum, eorumque omnium, quæ intra eandem atmoſphæram aliquo tempore immorata ſunt, & eorum omnium, quæ aliquo modo peſte affectis fuere in uſu, uſus prohibeatur, vel ſaltem non niſi poſt longum tempus, & poſtquam puro aëri diu expoſita, atque ſic perpurgata admittantur, utique peſtis non ſerpet, non pervagabitur furens.

Ac ſi Comes de *Caſtrillo* de his ſcientiam habuiſſet, vel fortè cum habuerit, ſi ea uti licuiſſet, non minus

nùs, ac Ferdinandus III. Florentiam, centena millia hominum Neapoli ſervare potuiſſet. Et profectò etſi fortè multi hæc noverint, attamen, ut nihil profectum eſt Trojani tempore belli Caſſandræ monitis, plerorumque voces ſæpenumero non audiuntur; & quamvis clamitent, & rauci etiam fiant, nihil proficitur. At Ferdinando ſimiles ſi fuerint, qui hæc noverint, vel potiùs tui ſimiles ſint, Illuſtriſſime & Excellentiſſime Eques, Dominice Contarene, hujus ſeculi, in quo mihi vivere datum eſt, decus & ornamentum, quique partem maximam tantæ molis ſuſtines, quanta eſt Veneta Reſpublica, facilè profectò dari ipſis occaſio poterit, vel peſtem extra fines Regnorùm, quibus præſunt, propulſandi arcendique (quod ſtrenuiſſimè præſtitiſtis Vos Veneti) vel citiùs morbum debellandi, ſeminaque exſtirpandi, quibus facilè ſerpit; quod ſapienter præſtitit Ferdinandus. Atque ideo in hoc te maximè alii ſuſpicere debent, quod non dedigneris de his ſimilibusque differentes clementer audire. Noviſti enim, clariſſimos etiam rerum proceres aliquid poſſe habere ab iis, quibus natura animum & ingenium largita eſt non vulgare, quos fortuna tulit humiles. Nec non etiam ſcis, in aliquo prudentiores doceri poſſe a rudioribus hominibus; quod vel Deus, vel caſus, vel quid aliud iſtos docuit, cum adhuc ſapientibus abſconditum ſit. Ac etiamſi minimè omnium alios contemnas, tuum autem in omnibus ſemper adhibes judicium, quo nihil acrius, nihil acutius. Neque illorum Principum vitæ inſtitutio tibi placet, qui alienis tantùm oculis vident, alienis tantùm audiunt auribus.

Non eſt autem nunc, cur te aliosque morer, quæ fuerint Venetorum conſilia narrando, quæve fuerint ab ipſis in Forum Julium, & in Palmam novam obſeſſæ Viennæ temporibus expeditiones, quidve meditati fuerint Patres, ut eſſent ad omnem eventum obſeſſæ urbis parati: nam tu iſtorum omnium pars magna fuiſti; & illis iisdem temporibus veluti e ſpecula omnibus intentus, quæ in Italia gererentur, meliùs hæc tum noſſe, tum meminiſſe potes: atque ego de iis potiùs mihi agendum duxi, quæ magis ad me ſpectant.

Po-

Popularis autem pleuritis, quæ Venetiis ſæviit menſibus Decembris, Januarii & Februarii, ex cœli aërisque inclementia facta eſt. Tanta enim cecidit eo anno nivium copia, ut ſeniores haud recordarentur unquam ſimiliter accidiſſe. Quod cum raro contingat Venetiis, neque gelidus rigidusque aër tamdin durare conſueverit, invenit Venetos, ut multi ajebant, veluti imparatos. Non quidem tantum imparatos, quòd non habeant hypocauſta, quæ Germanis ſunt frequentiſſima; & quòd minùs ſoliciti ſint Itali omnes de auribus, temporibus, collo, totoq; corpore defendendis ab ambientis aëris injuriis, ut neque ex hoc tantùm, quod tegmina domorum Veneti disponant parùm inclinata, & nives proinde faciliùs conſiſtant & diutiùs permaneant ſupra tegmina; verùm etiam ex hoc, quod, cum lacunæ & flumina gelu diriguiſſent, ligna non poterant convectari in urbem, quæ aquarum in medio eſt. At licèt Patrum providentia perſpexerit, non eſſe omnino impoſſibile, quandoque contingere, haud commodè, haud facilè, haud tutò ligna convehi poſſe in urbem, ac proinde certis hominibus mandaverint nonnulla faſciculorum, ut Veneti inquiunt, millia ſemper ad nutum promta haberent; in tanta tamen ignis neceſſitate millia iſta faſciculorum non fuerunt ſatis, & neque ſatis fuit, iis lignis uti, quæ in vitrariis fornacibus abſumi ſolent (*Borri* appellant,) quæ ponderata vendebantur, & cariori ſanè pretio.

E contra autem Germani, qui ſingulis annis ſimilem planè, aut paulò majorem minoremque experiuntur cœli inclementiam, uſu tandem perdidicere rationes ſeſe defendendi ab ambientis aëris injuria; adeo ut quælibet muliercula Germana meliùs, quàm Italæ fœminæ, & ſibi, & viro, & filiis tum domi, tum extra domum, a gelu rigidoque aëre cavere noverit.

Tecta conſtruunt Germani multùm inclinata, ut etiamſi copioſæ decidant nives, non illæ longiſſimo tempore immorentur ſupra tegmina domorum ac, ſi guttulæ aquarum ſolvantur, cum declivitate magna & inclinatione tegminum velociùs fluant, non adeo facilè,

ac cum lentè repunt, penetrant in domos. Debuiſſem autem hæc, & alia multa, adnotare in diſſertatione, *an frigidi ſit condenſare, & calidi rarefacere*, Venetiis edita, in qua pleraque tetigi de illa anni tempeſtate Venetis gravi: ſed tunc non adhuc Germaniam videram.

Germani item abundant lignis, domusque hypocauſta habent; foris autem incedunt pannis, pellibus, goſſipio, benè mehercule loricati atque muniti.

Veneti autem Patres, videntes, ſingulis diebus creſcere mortuorum numerum, ut meliùs poſtea de re dijudicaretur, juſſerunt diſſecari corpora. Inventa autem ſunt, quantum audivi, in plerisque pleuritidis ſigna, in aliis peripneumoniæ (inflammationem dicunt pulmonum) in aliis omnia hæc, in aliis nihil iſtorum. Videlicet dari poſſunt ſigna, ex quibus, niſi acri præditus judicio ſit Medicus, de affectis pulmonibus, vel de affecta pleura dijudicet, cum his nihil vitii inſit; quòd non ſemel ab aliis, ſi rectè memini, obſervatum fuit.

Cæterùm cum poſtea, ſolutis nivibus & redeunte cœli conſueta temperie, deſierit popularis morbus, diligentia quoque Patrum, & animi ex hoc capite ſolicitudo remiſſa eſt: aliisque gravioribus curis intenti, rogatique ab aliis Principibus bellum tandem Turcæ indixerunt. Sic Deus faveat cœptis, feliciaque ſemper facit eorundem arma.

Ego autem curioſitate motus videndi Germaniam, ſalutatis amicis omnibus, pulchras deſerui Venetias; effuſiſque precibus ad Superos Patavii juxta Divi Antonii reliquias, ſalutatoque ibidem Illuſtriſſimo Comite Carolo de Doctoribus, cygno dulciſſimo & amœniſſimo, Vicentiam petii, quæ Divum Cajetanum tulit. Inde Veronam, poſtea Tridentum, & Oenipontium (*Inspruck* appellant) ac denique Monachium perveni. Erat autem Majus menſis, fervebatque jam aër in Italia, ut profecti mane quodam cum Reverendiſſimo Patre Franciſco Maria Carafa, Theatino, Vicentia nos & equi laſſi languidique præ æſtu vix tandem Veronam pervenerimus, ubi refecti tribus diebus multos poſtea conſcendimus montes nivibus adhuc canos, & frigus non leve percipiebamus. Interrogabam, quos con-

conveniebam, latinè, vel italicé loqui ſcientes, quot nam elapſis menſibus pleuritide, vel peripneumonia fuiſſent abſumti? Reſpondebant alii, quòd non audiverint illo anno aliquem pleuritide laborantem; alii dicebant, quòd vix unus aut alter illis temporibus pleuritide fuerit correptus: & Monachii complures mihi dixerunt, quòd raró in Bavaria obſervetur Pleuritis. Quamobrem exiſtimavi, cum iis, quæ frigoris movent in homine ſimplices perceptiones, aliquid aliud ſæpe ſæpius concurrere, quod frequentes faciat pleuritides, vel aliquem alium certum morbum: quòd ſi hoc deſit, remanentibus illis aliis, frigoris quidem fiant validæ perceptiones, pleuritides verò vel omnino non fiant, vel rariores ſint. Et quidem etſi quartanarii plerique maximè rigeant, & frigora ſentiant validiora, quàm ſub arctico percipiantur; attamen vel nunquam, vel ràrò admodum pleuritide tentantur.

Cœlum in Germania humores facit magis reſolubiles, ſive, quod idem eſt, in Germania ejus naturæ aër eſt, ut corpora hominum multò plus diſſipent abſumantque, quàm in Italia. Hinc eſt, quòd largiores potus cereviſiæ, vini, & aquæ, lautioreſque menſæ, copioreſque cibi, maximè carnium, minùs noceant Germanis, quàm Romanis exempli gratia. Non, inquam, quòd ubique locorum, quos ego ſciam, non multùm peccent homines ferè omnes in quantitate tum cibi, tum potus, ac fortaſſis inter iſtos Germanus nemini eſt ſecundus; attamen inquam, aëris temperie cœlique conſtitutione factum eſſe, ac continuò fieri, ut, quoniam minùs ab exceſſu in his lædantur Germani, quàm Romani, frequentiùs in his etiam peccent Germani, inter quos tamen ſunt ſanè complures parcè ſatis ſobrièque viventes abſtemiique. Romæ autem, Venetiis, Neapoli, aliiſque in locis Italiæ, cum propter cœli tempeſtatem aliquam aëris temperies ſimilis illi eſt, quæ pluribus menſibus eſſe ſolet in Germania (nives videlicet cum decidunt copioſiores, & cum boreales flant venti) tum magis appetunt homines tunc temporis, tum etiam magis bibunt ac, ſi aliquantò largioribus cibis potibuſque indulgeant, minùs læduntur.

Hæc autem Oeniponte, Monachii, Linzii, Viennæ, & quibusdam aliis in locis Germaniæ, contingunt non ſolùm propter majorem poli altitudinem, verùm etiam propter majorem regionum prædictarum a centro telluris remotionem. Mihi enim non ſolùm Venetiæ, quæ Adriatici maris alluuntur undis, ſed Roma, & Patavium quoque humiliores, & centro telluris propinquiores videntur, quàm ſit Vienna; & multò humiliores Linzio, Monachioque, vel Oeniponte, quibus Verona etiam eſt humilior. Enimvero primi fontes, exempli gratia, Oeni, fonteſque Atheſis ſunt proximi, & in eadem, vel ferè eadem Alpium montium altitudine. Atheſis autem præcipiti curſu influit in mare Venetum, quod non diſtat a primis fontibus Atheſis, niſi unius, atque alterius circiter graduum longitudine. At Oenus, ut etiam Iſer, qui feliciſſima ſub præſenti Sereniſſimo Duce Maximiliano alluit Bavariam, Danubio adduntur. Danubius autem longiſſimo itinere in mare nigrum ſuas volvit aquas. Eſtque mare nigrum mediterraneo, hujuſque ſinu mare Adriaticum altius: nam continuò e nigro mari in mediterraneum fluunt aquæ. Atheſis præterea propter motus velocitatem, & alvei, ubi eſt fontibus proximior, magna declivitate non exigua ſui parte innavigabilis eſt; & ea parte, qua eſt navigabilis, magis præcipiti curſu, quam Danubius, ad proximum mare Venetum fluit. Danubius enim non ſolùm ipſe navigabilis eſt, verùm etiam & Oenus & Iſer maxima parte ſunt navigabiles; & quantum mihi obſervare licuit, Oenus poſt paucas leucas germanicas a primo ortu ſtatim navigabilis eſt, & navigatur frequenti rate, *Zattera* dicunt Veneti, Germani *Flob*. Similiter & Iſer non nimis longè a primis fontibus navigabilis eſt. Ita ut etiamſi fluvii iſti Oenus & Atheſis ortum primum habeant ab eadem ferè montium altitudine, attamen in Atheſi altitudo iſta aquarum ob magis inclinatas ſive declives regiones, per quas fluit, citò perit, ac citò ad mare fluminis hujus aquæ perveniunt. Oeni verò, Iſeris, & Danubii, qui illos excipit, aquæ ob magis elevatam remotioremque a centro telluris regionum, per

quas

quas decurrunt, altitudinem, placidiori, & minùs veloci motu, longiſſimo itinere, in mare nigrum feruntur. Ac Danubii quidem aquæ, confecto jam magno itinere, Vienna decedentes verſùs mare nigrum adhuc debent percurrere, obliqua licèt via, ab occaſu ad ortum gradus circiter ſedecim: cum contra Atheſis a primis fontibus in mare usque Venetum, ètſi etiam obliquo itinere (quod ſtrictè examinatum haud vim frangit ſermonis mei) vix conficiat gradum unum, & circiter alterum.

In his autem nullus debet expoſcere exactum computum: nam ego, cum ſciam ſtare utcunque ſententiam meam, nolui in his ſtudioſiùs exquirendis multum temporis impendere.

Cæterùm Linzii menſe Julio dyſenteriæ & diarrhœæ cœperunt homines infeſtare, quorum non pauci èx his mortui ſunt. Neque tantùm ex plebe, ſed nobiles & principes complures vel longo tempore his morbis malè ſe habuerunt, vel fato etiam ceſſerunt. Inter quos perpetuò lugendus Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Comes Franciſcus Auguſtinus de Waldſtein, qui Linzii primùm dyſenteria cœpit ægrotare, ſed Viennæ mortuus eſt. De ſereniſſimo puellulo, potentiſſimi Imperatoris Leopoldi I. filio, nihil auſim affirmare: nam alii aliter rem narrant.

Vienna autem, quæ præcedenti anno 1684. tum diarrhœa, tum dyſenteria, laborarat, hoc anno viſa ferè eſt immunis. Nam, ſiqui his morbis prehenſi fueri, illi ferè omnes Linzii primùm ægri facti ſunt, indeque ſecum Viennam ægritudines deduxerunt. Ac quantum ego ſcio, non equidem certò dicere poſſumus, Viennenſes communione iſtorum, qui Linzio cum ægtitudinibus Viennam devenerunt, detrimenti aliquid accepiſſe. Et multi quidem fuerunt Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino Comiti de Waldſtein dyſenteria ægrotanti miniſtrantes, cubiculoque ejusdem frequentes, quorum proinde nemo dyſenteria vel diarrhœa laboravit. Præterea certum mihi eſt, Linzii in anguſta quadam domuncula, quæ non excederet cubum ex latere duodecim pedum, ſex ſimul fuiſſe cohabitantes, ex quibus honeſta fœmina, Domina Magdalena, Domini

 Caro-

Caroli Veterani uxor & Domini Georgii Soler mater, dyſenteria mortua eſt: cum reliqui ne dum ſuperſtites, ſed nihil hujuſmodi paſſi fuerint.

Ac licèt in una eademque familia circa eadem tempora plures dyſenteria laborantes fuerint obſervati, attamen aliquis dicere poſſet, id nequaquam ex eo contigiſſe, quòd alius alii morbum communicarit; ſed quoniam eodem aut ſimili aëre, iisdem aut ſimilibus cibis potibusque ſunt uſi, ut proinde alii citiùs, alii tardiùs, pro naturarum varietate roboris eandem aut planè ſimilem ægritudinem contraxerint.

Similiter dici poſſet de paucis quibusdam, quibus contigit dyſentericos fuiſſe, poſtquam unum vel alium dyſentericum obſervaverint: videlicet, quòd dyſenteria laboraſſent, etiamſi nullum unquam vidiſſent dyſentericum. Nam cum nulla iis ſit immunitas a dyſenteria, qui nunquam dyſentericos obſervarunt, nulla etiam erit iis, qui dyſentericos viderunt & tetigerunt: ſicuti non mihi ulla eſt a podagra immunitas, quoniam multos podagra aflictos obſervaverim.

At re vera ego exiſtimo, nonnullas dyſenterias, & nonnullas diarrhœas, eſſe contagioſas; ſed non omnes: non minus ac non omnes febres, malignæ appellatæ a medicis, contagioſæ dicendæ ſunt.

Quæ quidem conſideratio non eſt omnino pretereunda. Nam cum liceat timore contagii minùs nos humanos eſſe in ægrotantes, crudelitas eſt, non examinare diligenter, quinam morbi re vera contagioſi ſint; & crudelis inſcitia eſt, eos morbos deprædicare contagioſos, qui re vera contagioſi minimè ſunt: nam, contagii timore, multis auxiliis privabimus eos, qui re vera nequaquam morbo contagioſo laborant.

Verùm principio alicujus malæ conſtitutionis, & ante, quam currentis alicujus epidemialis morbi natura cognoſcatur (ut ferè ſemper accidit, primis diebus malæ conſtitutionis haud rectè cognoſci ejùs naturam) ſi quid peccare liceat, peccandum potiùs in cautionis ſuperabundantia, ne ſanos lædamus, & malum diffundatur. Prudentia tamen uti debemus, ne quid per inſcitiam immeritis pauperibus ægrotantibus injuriæ inferamus, iis auxiliis eosdem deſtituentes, quibus poſſent

juvari,

juvari, ſi eorum morbus non haberetur contagioſus. Quod plerisque accidit eorum, qui e noviſſimis caſtris Budenſibus ægroti redierunt. Nam cum nullus eſſet extra urbem Viennam in eorundem hoſpitium deſtinatus locus, quin cum omnia eſſent jam ab anno elapſo extra urbem diruta, illi tamen non admittebantur in urbem, ne fortè contagione integros polluerent. Alii autem admittebantur, & non ſolùm eorum, qui cum his omnibus commercia habuerant, non ulla ratio habebatur; ſed illi iidem, qui non fuerunt admiſſi, poſt acceptam injuriam denegati ingreſſus, & poſt varias, tribus quatuorve diebus, loci incommoditates admittebantur etiam, ut, ſi quæ juſta fuiſſet morbi contagioſi ſuſpicio, non equidem urbs ſervata fuiſſet, ſicuti non fuit ſervata a peſte paucos ante annos. Nam etiamſi primis diebus, qui ex Hungaria cum peſtis ſuſpicione veniebant, non admitterentur in urbem; recipiebantur tamen in ſuburbia. At ſuburbanis omnibus patebant portæ, quaſi ſuburbia virtutem a Deo habuiſſent ſtatim ſanandi & præſervandi quoſcunque a peſte.

Sed Superûm munere nobis datum, eſt hoc anno ægritudines eorum, qui e caſtris Budenſibus in urbem Viennam advecti ſunt, non fuiſſe contagioſas. Nam cum omnes Viennenſes aliique ſine diſcrimine cum his varia commercia habuerint, nullus profectò ex contactu quicquam mali paſſus eſt.

Affectiones autem, quibus illi, qui redibant ex caſtris, infeſtabantur, erant dyſenteriæ, vel diarrhœæ; tertianæ, vel quartanæ, aliæque febres plerumque ſine certa periodo, viſcerum obſtructiones, & tumores in inferiori ventre, cum pedum tumefactione in nonnullis, ut accidere ſolet in hydropis principio; tuſſes, ſpirandique difficultates; quamplurimis lingua erat albicans, tenaci viſcidaque pituita obducta; & nonnemini nigra erat, veluti ex fuligine cruſtam quandam haberet. Ac tanta fuit in exercitu Cæſaris ſimilium ægrotantium multitudo, maximè dyſenteria, vel diarrhœa laborantium, ut majorem cladem acceperint noſtri ab his morbis, quàm a Turcico gladio.

Ex his autem, qui ægrotantes Viennam pervenerunt, interrogati, atque ſedulò examinati illi, qui meo

conſilio uſi ſunt, nec non etiam & alii complurés, vel de aëre, vel de aquis conqueſti ſunt; alii ciborum pravam naturam; alii eorum, quæ ad nutrienda corpora ſunt neceſſaria, caritatem, & difficultatem incuſabant. Sed ex iis, quæ communi veluti ore ſine ſententiarum diſcrepantia narrabantur, facillimum fuit intelligere, ferè omnibus defuiſſe ſcientiam artemque ſeſe præſervandi a morbis; & quantum pertinet ad conſervandam militis ſalutem, nullum omnino locum hominum prudentiæ fuiſſe conceſſum, ſed omnia caſu fortunave contigiſſe.

Quamobrem non fruſtra tempus terere mihi ſum viſus, ſi, tum propriis, tum aliorum obſervationibus edoctus, ipſam rei naturam contemplarer, & normam traderem, qua milites vel ciborum ſalutarium facili præparatione, vel aquarum purgatione & emendatione a multis vitiis, vel facili methodo ſeſe defendendi ab injuriis ambientis aëris, vel quid aliud efficiendo, quod opportunius ſit ad conſervandam eorum ſalutem, quantum licet, ſi velint, ſibi a morbis cavere poſſint. Cumque rem Romæ & Venetiis ſignificaſſem Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Cardinali, Franciſco Nerlio; Illuſtriſſimo Excellentiſſimoque Divi Marci Procuratori, Hieronymo Baſadonnæ; Illuſtriſſimisque viris, præſtantiſſimis Marchioni Philippo Nerlio, Chriſtino Martinello Patritio Veneto, aliisque amicis colendiſſimis mentem meam adaperuiſſem, omnes opus laudantes, quod animo conceperam, non parum mehercule virtutis viriumque mihi addiderunt.

Præſtiti, quæ potui, amice Lector. Quòd ſi opus non tibi videatur abſolutum, utique poteris adjicere, quæ tibi magis videantur e re. Sed ſi non omnia probabis, laudabis ſaltem hoc, quod occaſionem aliis dederim meliora, & quæ faciliùs in praxin deduci queant, ſcribendi.

Illos autem minimi omnium faciendos exiſtimo, qui, cum mala inſtitutione nihil ipſi præſtent, vel præſtare valeant boni, iniquis oculis, hircorum more, obliquè alios intuentur, & invidia torquentur ex eo, quòd alios videant aliquid conari.

I N-

INDEX CAPITUM.

PARS I.

DE cauſis morborum caſtrenſium, & præcipuè in Hungaria, deque agendorum ſumma. pag. 1

CAPUT I.

Referentur ea, quibus miles bene valeat in urbibus. 2

CAPUT II.

De iis, quæ militi de novo accidunt in caſtris. 6

CAPUT III.

De caſtrenſium morborum cauſis; deque iis, quæ peculiariter in Hungaria contingunt ex regionis illius propria natura. 13

CAPUT IV.

In quo agendorum ſumma traditur. 17

CAPUT V.

In quo ſolvuntur quædam difficultates. 23

PARS

PARS II.

De cibis & potibus ſalubrioribus paratu facilibus, quibus milites in caſtris uti poſſint. 28

CAPUT I.

De aquæ ferventis præſtantia, atque utilitate. 29

CAPUT II.

De cibis ſalubrioribus, qui facilè & breviſſimo tempore parantur cum aqua ferventi. 35

CAPUT III.

In quo animadverſiones quædam circa panem continentur. 39

CAPUT IV.

De aliis ſalubribus cibis brevi tempore parabilibus, quibus miles uti poteſt. 41

CAPUT V.

De aliis cibis, qui longiori indigent coctura; deque victu ejus militis, qui minùs curioſus eſt circa conſervandam propriam ſalutem. 44

CAPUT VI.

De aquarum vitiis emendandis. 52

CAPUT VII.

De facili præparatione pleraruuque aquarnm. 78

PARS

PARS III.

De ratione præſervandi milites ab iis malis, quæ imminent ab aëre. 95

CAPUT I.

In quo circa aëris naturam quædam ſupponenda traduntur. 97

CAPUT II.

De inſolationibus. 99

CAPUT III.

De aëre cuniculorum & eorum locorum, e quibus terra de recenti effoſſa eſt; ac de aëre nebuloſo, & de aëre rorifero. 106

CAPUT IV.

De iis, quæ ſervare debet miles dormitum iturus. 121

CAPUT V.

Quæ conveniant militi experrecto. 134

CAPUT VI.

De effluviis a cadaveribus & ab excrementis emanantibus. 137

PARS IV.

De præſervando milite a ſpecialibus quibusdam morbis frequentioribus in caſtris. 141

CAPUT I.

In quo quæritur, ut quis a determinato aliquo morbo poſſit præſervari. 142

CA-

CAPUT II.

De præſervando milite a dyſenteria. 155

CAPUT III.

De arcenda diarrhœa. 161

CAPUT IV.

De febre petechiali arcenda. 165

CAPUT V.

De arcenda quartana febre. 180

CAPUT VI.

De febre tertiana & quibusdam aliis febribus procul arcendis. 182

CAPUT VII.

De ictero arcendo. 186

CAPUT VIII.

De appetitu conſervando, & ciborum concoctione promovenda. 187

CAPUT IX.

De ventris tumore & obſtructionibus præcavendis. 189

CAPUT X.

De tuſſi præcavenda. 190

CAPUT XI.

De capitis dolore arcendo. 191

CAPUT XII.

De doloribus articularibus præcavendis. 191

CAPUT XIII.

De iis, quæ dignoſcuntur in ore, & in lingua. 193

FINIS.

PARS

PARS PRIMA.

De cauſis morborum caſtrenſium, & præcipuè in Hungaria; deque agendorum ſumma.

EX iis antiquorum libris, qui ad nos pervenerunt, ſupra alios ſemper mihi maximè placuit Hippocratis *de Veteri Medicina* liber, cujus paraphraſin conſcripſi. Auctor enim eos maximè irridet, damnatque, qui vanæ, fictæque alicui hypotheſi omnia, quæ fiunt in homine, accommodant, atque ſic exiſtimant ſe eſſe ſapientes. At ipſe, omiſſis vanis diſputationibus, ac omiſſa quacunque vana hypotheſi rerum, quibus utcunque utimur, reſpectivè ad noſtram naturam examinans, facili, certaque methodo, quæ utilia, quæve noxia ſint, decernit. Primùm quærit ea, quibus homo bene valeat; ac poſtmodum ex his morborum plerorumque cauſas indagat. Et ut facilis eſſet ſermo ejus, & ab omnibus intelligeretur, exempla adducit ex iis deſumta, quæ omnium ſunt in uſu. Non dedignatur panis (*Tex.* 8.) optimi notas referre (cibi nempe omnibus communis) & eos maximé laudat, qui ex crudo, ut ex area tollitur, inſalubri tritico panem primi confinxerunt.

Mihi proinde nunc libitum eſt, ad tanti viri

BOSTON MEDI... DEC 4 1922 LIBRARY

ri exemplum, omiſſis iis omnibus, quibus non pauci ingenii gloriam, inaniter meo judicio, ſibi promittunt, ipſam rerum, de quibus ago, naturam examinare; ac primùm brevibus ea referre, quibus miles in urbibus degens bene valeat, ut, his cognitis, ea poſtmodum facilè conſtent, quæ de novo eidem in caſtris accidunt, quibus perquam facilè ægrotat.

Ad minutiora quæque ſæpenumero libens deſcendam. Quod condonabunt ſapientes. Nam non is mihi nunc animus eſt doctos docere, ſed ſuſcepto munèri ſatisfacere, militem erudiendo in iis, quæ ad ejuſdem ſalutem in caſtris conſervandam pertinent. Quòd ſi non puduit Eraſiſtratum cichorii decoquendi regulas docere, non me pudebit militi ſalutaris cibi rationes tradere, &, ut mundum & magis tranſpirabile fiat corpus, eundem docere.

CAPUT PRIMUM.

Referuntur ea, quibus miles bene valeat in urbibus.

Age igitur ea exquiramus, quibus miles bene valeat in urbibus, ſive caſtellis, aut pagis: nam ubi hæc relata fuerint ad ea, quæ eidem accidunt in caſtris, facilè caſtrenſium morborum cauſas cognoſcemus.

I. Milites, inquam, in urbibus, vel in caſtellis, vel in pagis degentes ferè ſemper ſingulis diebus aliquid accipiunt immediatè ante ab igne ſublatum, ſive proximè ab igne remotum

(actu

(actu calidum dicimus) quod adhuc multas habet in ſe ignis particulas; ſive illud ſit jus; ſive caro elixa, vel aſſa; ſive panis in jure, vel ſimplici aqua coctus; ſive radices, & herbæ elixæ in aqua ferventi, & ſale, atque pinguedine aliqua conditæ; vel legumina cocta, vel quæ ex tritico, aut hordeo fiunt, vel quodcunque aliud illud ſit, dummodo cibi ſalutaris uſum habere poſſit.

II. In urbibus, ſive caſtellis idem miles ſæpe ſæpius coctis nutritur cibis.

Differentiam non mediocrem ego pono inter cibum proximè ſublatum ab igne, & inter cibum coctum quidem, ſed non proximè ſublatum ab igne. Nam pleraque ſunt, quæ, etſi cocta ſint, tamen nocent; quoniam non aſſumuntur pɹoximè remota ab igne, non aſſumuntur actu calida, & multum adhuc ignis permixtum habentia. Exempli gratia jus, maximè pinguius, quod acceptum proximè ſublatum ab igne utplurimum juvabit, aſſumptum frigidum, ſive cum jam longo tempore ab igne remotum fuit, & cum nullas amplius habet ignis permixtas particulas, utplurimum omnino nocebit. Utplurimum dico: nam ſcio, poſſe reperiri aliquem, cui proſit jus actu frigidum; ſcio, non eſſe impoſſibilem caſum, in quo proſit pinguedo aliqua denſa, craſſa, & actu frigida devorata. Sed ea potiſſimùm in præſenti conſideranda duco, quæ multitudini utplurimum accidere ſolent; & ea tantùm referam, quæ multitudini utplurimum proſunt, vel obſunt. Neque his, quæ ſuperiùs dicta ſunt, ego affirmo non adeſſe aliquid,

quod non utilius, & præſtantius ſit actu frigidum potiùs, quàm calidum aſſumtum; ſed tantùm monitum volo, conſuetudinem habere eos, qui in urbibus degunt, pluribus in hebdomada diebus, calidis veſci.

III. Milites in urbibus bibunt vinum, vel cereviſiam, vel ſaltem aquam ex puris fontibus hauſtam, vel in puteis ſat ſuperque perpurgatam.

IV. Milites in urbibus minùs ſubjiciuntur mutationibus, & injuriis, quæ homini imminent ab ambiente aëre. Nam ſemper pagi, urbesque aliquo modo magis defenduntur a ventis, quàm militum caſtra. Frequentia domorum, & proximitas ædificiorum efficit, ut unum aliud defendat. Multitudo focorum non parùm etiam adjuvat.

V. Magni quoque momenti eſt, quòd in urbibus, etſi homines interdiu ſub ſole fuerint, vel pluviam exceperint, vel terram effoderint, noctu tamen utplurimum degunt in locis clauſis, dormiunt in concluſis domibus ſecuri a repentinis aëris mutationibus: quæ quibusdam in regionibus ſolent eſſe vehementiſſimæ, & efficaciſſimæ ad turbandum corpora.

Non ego nunc conſidero Mauritaniæ populos, & eos, qui ſub æquinoctiali vivunt circulo, ubi aër difficiliùs, atque rariùs mutari conſuevit; iidemque venti flant pluribus menſibus; ſuntque propterea populi magis aſſueti interdiu, vel noctu ſub dio eſſe. Loquor de Europæis, deque Germaniæ potiſſimùm populis.

VI.

VI. Cumque nimis intereſſe exiſtimem, qualis ſit aër, quo utitur homo; placet aliquid aliud animadvertere, quo res meliùs intelligatur.

Semper aliquid e corporibus cunctorum animalium continuò perſpirat, quod ſive fumos, ſive halitus, vapores, vel exhalationes libeat appellare, permixtum aëri, qui circa corpus quodcunque eſt, efficit, ut hic idem aër ſit peculiaris naturæ, & veluti illius animalis proprius, ac connaturalis. Noctu in concluſis domibus aër iſte difficulter mutatur, difficulter alteratur, eſtque tota nocte animal in proprio aëre, ut ſic dicam; utiturque maxima parte (ſaltem ad defenſam ab externis injuriis) iis iiſdem ſubſtantiis, quæ ab ejusdem corpore exſpirant: ac nocte in concluſis domibus non minimùm creſcit animalis atmoſphæra iſta.

Hæc quidem, etſi non ab omnibus animadverſa, vera & tam clara ſunt, ut omnibus, modò termini tantùm intelligantur, poſt admonitionem iſtam manifeſta eſſe debeant; clariſſima autem, & manifeſtiſſima debent eſſe illis, qui Boylii *de Atmoſphæris* tractatum legerint, de quibus etiam memini me alicubi aliquid dixiſſe.

VII. Miles in urbe utplurimum noctu exuit veſtes, dormitque in lecto; & ſic exutus veſtibus ſemper aliquantulum hac illac movetur: qua occaſione membra cuncta fiunt ipſi magis munda a ſordibus quibuscunque, quæ cuti adhærere poſſunt. Hinc corpus redditur homini magis perſpirabile, & obſtructiones meatuum cutis meliùs præcaventur.

Quod ſiquis alia commoda urbium notatu digna novit, quæ in his, quæ ſupra enarrata ſunt, non comprehendantur; poterit illa his adjicere, ac appoſitè conferre iis, quæ militi de novo accidunt in caſtris, de quibus in proximo capite ediſſeram. Ille autem, qui nihil præterea addendum habet, vel cum habeat (quacunque ille teneatur cauſa) non vult tamen quicquam addere, ſi ſano velit uti conſilio, laudabit potiùs hæc, quàm damnabit; ne fortè iniquus, & malignus ſimul habeatur.

CAPUT. II.

De iis, quæ militi de novo accidunt in caſtris.

HIs, quibus miles bene valet in urbibus, ſic expoſitis, redeamus ad Hippocratem eodem libro (*Tex.* 22.) *de Veteri Medecina: Contingat mihi homo*, inquit ille, *non fortis naturæ, qui triticum edat, quod ex area ſuſtulit non elaboratum, & carnes crudas, & bibat aquam. Hoc victu utens ſatis ſcio, quòd multa & gravia patietur. Nam flatibus turgeſcet, doloribus vexabitur, & ejus corpus debile evadet, & venter corrumpetur, & multo tempore vivere non poterit.*

I. Ac ad Hippocratis exemplum nos quoque dicamus: Miles in caſtris multis diebus vel nunquam, vel multò minùs frequenter iis utitur, quæ multum ignis adhuc permixtum habent; minùs frequenter utitur iis, quæ paulò priùs,

priùs, vel immediatè ante ab igne ſublata fuere; multò minùs frequenter utitur iis, quæ actu ſatis calida appellantur: hæc enim omnia idem ſignificant. Igitur miles facilè ægrotabit in caſtris. Nam cum ſingulis ferè diebus actu calidis uteretur in urbibus, bene valebat; & non levis in ipſo mutatio fit, calida omittendo.

II. Panis in caſtris ſi fortaſſis multò pejor ſit, quàm in urbibus eſſe conſueverit; ſi ſit minùs rectè fermentatus, & minus coctus; & quandoque ſi crudus potiùs, quàm malê coctus dici debeat; ſi ſitum fortaſſe contraxerit, appareatque alicubi muſcoſus, & variorum colorum, flavus, niger & fuliginoſus, & viridis, & cæruleus; ſi mucidus ſit, profectò malè erit militi ex hoc pane; & venter ejuſdem, corpusque univerſum brevi ex hac cauſa corrumpetur.

III. Miles in caſtris ſæpe ſæpius crudis, vel malè coctis veſcitur: ut ſunt carnes, piſcesque ſaliti, & fumo indurati, arborum fructus ſæpe malæ qualitatis, & immaturi; melones, cucumeres, citrulli, radices, herbæque crudæ, vel quid ſimile. Is igitur, qui in urbe, cum coctis veſceretur, bene valebat, in caſtris facili profectò negotio graviter ægrotabit.

IV. Frequenter item accidit, duci exercitum per ea loca, in quibus non reperiuntur aquæ ſalubres; & quandoque neceſſitas etiam urget caſtra ponere his iiſdem in locis. Aquarum autem inſalubritate omne morbi genus fieri poteſt militi.

V. Ac etiam ſi aquæ fuerint optimæ, largiter tamen potatæ, dum miles vel in itinere, vel

in pugna, vel in aliquo militari exercitio nimis incaluit; dumque ſanguis nimis præ aliquo labore agitatus veluti fervet in venis, poſſunt derepente hominem enecare. Quod ſi non perdant ſtatim, ex hoc uno tamen errore aquarum non opportuno tempore, & dum calidus adhuc nimis miles eſt, ferventque humores, hauſtarum, morbis omnibus caſtrenſibus facilè dari poteſt occaſio.

Quin etiam & equo, & mulo, & aſino nocent aquæ, cum ſimilis fuerit humorum in ipſis propter laborem conſtitutio. Atque ideo prudenter mehercule tunc temporis, qui equorum curam habent, donec conquieverint aliquantulum per quietem humores in vaſis, arcent equos a fontibus, neque patiuntur in equo totalem a curſu motus ceſſationem, ſed leni paſſu ducunt, ad hoc ut paulatim conquieſcant ſpiritus, & paulatim redeat ſanguis ad conſuetam per vaſa velocitatem.

Strenuus autem miles, qui non timet faciem armati inimici, ferreoſque ignitos globulos non timet, dum ſiticuloſus nimis eſt, nihil de his cogitans, pileum, vel galeam aquis plenam uno hauſtu exiccat; atque ſic ſuamet ſæpenumero, qui multos potuiſſet perdere inimicos, ſeſe enecat incontinentia.

VI. Neque mitiùs militem habent repentinæ aëris mutationes: cui dum corpus ex aliqua cauſa calidum eſt, diſpoſitumque ad ſudandum, vel dum expedit meliùs tranſpirare, vento, aëreque frigidiori cohibetur ſudor, vel ſaltem difficilior fit tranſpiratio. Et caput ipſi ſtatim gra-

gravatur, & dolet; impotens fit ad conſueta munia; & febris poſtea facilè accenditur.

Quoniam autem aër corpus eſt, quod continuò corpori animalium applicatur, & non ſolùm pulmonibus hauſtus, quo pluribus nominibus vel prodeſt nimium, vel nimium nocet, extrinſecùs etiam contactu efficax eſt ad alterandum corpora, & repentinæ magnæ ejuſdem mutationes non ſolent eſſe proficuæ; placet nonnulla addere, quibus manifeſtum ſit, quàm graviter ſolo aëris vitio miles frequenter offendatur.

VII. Ab aëre puriori nonnunquam tranſit miles in foveas, inque cuniculos ſubterraneos, in quibus aliquando aër gravis adeo eſt, & parùm, aut nihil benigniori aura perflatus, ut homo poſſit ſuffocari: quod accidere non raró memoratum eſt in fodinis metallorum. Quòd ſi ibi aër adeo vitioſus non ſit, & homo non ſuffocetur, ægritudinum tamen cauſæ quamplurimæ facilè in illis locis habentur.

VIII. Vel etiamſi in cuniculis, aut foveis non immoretur miles, aërem tamen frequenter reſpirat, qui eſt prope foſſas, vel prope terram de recenti effoſſam; eſtque non raró aër iſte pernicioſus. Ac memini, me audiviſſe Romæ a compluribus, quod cum fundamenta jacerentur in campo Agonali obeliſci (qui ab inclytiſſima familia tua nomen accepit Eminentiſſime, & Reverendiſſime Cardinalis Ampliſſime Benedicte Pamphile) oportueritque latè, & profundè nimis terram effodere, non paucos in vicinia febribus, aliiſque ægritudinibus laboraſſe,

morbis caſtrenſibus perquàm ſimilibus. Quæ ægrotandi occaſio, etſi fortè non animadvertatur, non deeſt profectò in caſtris, in quibus ferè ſemper terra aliquo pacto effoditur, & revolvitur.

IX. Supponendum autem eſt, hæc omnia, quæ de aëre dicta ſunt, multò plus nocere militi dormienti, quàm militi vigilias agenti; & multò faciliùs, atque graviùs malè habere eum, qui dormit in aëre vitioſo, quàm qui vigilat, & aliquo modo movetur, & exercetur in eodem aëre vitioſo: quin pleraque venena, imò ferè omnia, magis nocent dum dormit, quàm dum animal vigilat.

X. Ac cum dixerim ſupra, dum enumerarem ea, propter quæ miles bene valet in urbibus, animalia cuncta habere circum corpora aëris peculiarem, ſive propriam quandam ſphæram, quæ noctu, dum animal in concluſo loco dormit, amplior, & validior eſt, & latiùs ſanè patens, quo aëre circumfuſo animali (ex cujus perſpirationibus & halitibus maxima parte conſtat) tota nocte fovetur corpus ejuſdem animalis, & ab injuriis quibuſcunque, & repentinis incurſibus novi aëris defenditur; de milite addendum nunc eſt, quòd nulla, vel anguſtior, & magis abbreviata, & languida nimis ſit ipſi, dum dormit, atmoſphæra. Nam miles vel ſub dio dormit, novuſque ſemper accedens vento motus aër non ſinit morari diu circa militem, quæ ab ejuſdem corpore continuò effluunt ſubſtantiæ. Vel ſi in tentoriis dormiat, non equidem utplurimum tentoria ſatis ſunt ad prohiben-

bendum irruentem vento aërem; utplurimum non prohibent nebulas, & quæcunque vento, nebuliſque efferuntur, quæ magis noxia eſſe ſolent militi dormienti, quàm militi vigilanti, ut ſupra dictum eſt.

Monendus iterum eſt Lector, me in his omnibus loqui de iis, quæ utplurimum fiunt, & frequentiùs accidere ſolent. Et poſſum equidem ego aliquem confingere caſum, in quo ſatius ſit ſub patenti eſſe, & ſub patenti dormire cœlo; in quo etiam expediat continuò mutari aërem, qui circa corpus quodpiam eſt, ſicuti continuò mutatur aqua circa corpus ejus, qui in flumine abluitur.

Monendus etiam eſt idem Lector, me, dum commoda retuli & beneficia, quæ dormienti fiunt ab ejuſdem atmoſphæra, non intelligere, quod locus debeat eſſe exactè concluſus, & hermeticè ſigillatus, ut nihil novi aëris admittatur, nihil omnino ex eadem atmoſphæra emittatur. Sunt enim hæc omnia intelligenda ſano more; & cavilli leviter ſapientium, & inaniter eruditorum non debent in his, quæ dicta ſunt, locum ullum habere: nam ſatis rerum ſumma conſtat, & evidens eſt.

XI. Neque illud, pluribus diebus non exui militem veſtibus, parvi faciendum eſt: nam præter quam multiplicantur in turmis animalcula optimum ſanguinem ſugentia militum, ſordities, & immundities adhærens membris reddit corpus univerſum minùs tranſpirabile: ex quo complures morbi fieri poſſunt.

XII. Poſſumus his addere, quòd ſomnus eſt militi

militi in caſtris magis interruptus; ſpeſque, timoreſque tum plures, tum vehementiores eſſe ſolent in caſtris, quàm in urbibus.

Quòd ſi dicamus, in obſeſſis urbibus ſomnos item eſſe interruptos; ſpeſque, timoreſque eſſe item non rarò vehementes; & multa alia contingere illis ſimilia, quæ contingunt militi in caſtris. Reſpondebo, quòd propterea frequenter etiam contingat, in obſeſſis urbibus milites, alioſque obſeſſos caſtrenſibus morbis, vel caſtrenſibus ſanè ſimilibus laborare. Quod noviſſimè in Viennæ obſidione manifeſtum fuit.

XIII. Omiſi leviores cauſas. Omiſi copiam referre putreſcentium corporum, ſive fuerint mortuorum hominum, ſive equorum, ſive alterius generis animalium. Nam cauſæ hujuſmodi comprehenduntur in iis, quæ dici poſſunt de aëris vitio propter effluvia ſimilium corporum: niſi fortè quis addere velit, quòd magnus ſit ex his vermium, muſcarumque proventus. Et de muſcarum quidem copia referunt, quòd non ſolùm hominibus fuerit moleſta ſatis, ſed non pauci malè caudati equi obſeſſæ Viennæ temporibus, ut etiam ſoluta obſidione, muſcarum copia perierint.

CAPUT III.

De caſtrenſium morborum cauſis; deque iis, quæ peculialiter in Hungaria contingunt ex regionis illius propria natura.

Atque uno, vel altero ex his, aut pluribus ſimul concurrentibus, judicio eorum, qui meliorem habent mentem, affirmare debemus, ubique locorum fieri morbos caſtrenſes. Adeo ut ſæpiſſimè in eadem omnino regione alii bene ſanique degant, alii peſſimè ſe habeant; quoniam illi in urbe ſint, iſti in caſtris proximis circa urbem. Quin ſi in eadem urbe alii vivant more militum caſtra habentium, alii conſueto civium more; ex illis multi ægrotabunt, ex his vel nullus, vel pauci ſanè. Enimvero morbi caſtrenſes potiſſimùm fiunt ex mutata nimis militum vivendi ratione. Quæ ubicunque locorum cum nimis, atque nimis mutata fuerit, neceſſariò mutatur etiam ſtatus corporis, & homo inde ægrotat. At in caſtris ferè ſemper unum, vel alterum, aut plura mutantur eorum, quibus miles bene valet in urbe; & conſequenter, niſi norma aliqua, & recta diſciplina adhibeatur, ferè ſemper neceſſitate naturæ mutationes vehementes cum ejuſdem ſanitatis tenore, atque ſtatu haud ſuſtinentis morbi fieri debent.

Verùm enimvero aliquid aliud eſt in Hungaria. Nam cum ſingulis ferè annis plerique Principum Europæ exercitus habeant in ca-

ſtris;

ſtris; non tamen accipimus, in iis tam frequentes eſſe morbos, & mortes, quot in exercitibus, qui mittuntur in Hungariam. Quærendum igitur eſt, quidnam ſit hoc aliud in Hungaria?

Complures ſcriptores, iique non obſcuri nominis inquiunt, malignum eſſe in Hungaria aërem. At ego audio populis florentiſſimas eſſe non paucas in Hungaria Urbes, & pleroſque vivere uſque ad extremam ſenectutem.

Sed ſi demus hoc primum, adeſſe in Hungaria malignum aërem, & rogemus, in quo hic idem conſiſtat? per verba quædam ſemper magis obſcura reſpondere ſolent celeberrimi viri. Quorum verborum ſi petas explicationem, tandem manifeſtò & clare fatentur, malignum illud aëris in Hungaria conſiſtere in occulta qualitate, morboſque Hungaricos malignam, occultamque qualitatem agnoſcere pro cauſa. Atque ideo doctus, & eruditus eorum ſermo nihil nobis affert luminis; nihil omnino addit ſcientiæ: quin imò tenebricoſis illis reſponſis cum obſcurior ſit morborum illorum natura, tum etiam curatio, & ab iiſdem præſervatio difficilior eſt.

An fortè patentes aures præbebimus illi, qui dicat frequentiores eſſe in Hungaria morbos caſtrenſes propter majorem militum incuriam? Non ego hujuſmodi ſermones admittam. Nam ubi Duces ſunt magis curioſi de militis ſalute, & magis providi eorum, quæ ad ſalutem militis conſervandam ſunt neceſſaria, non poteſt miles eſſe incurioſus. Etenim in omni regno, & in omni republica ferè omnia fieri ſolent

Re-

Regum, Ducum, & Procerum ad exemplum. Et in quovis hominum conventu eæ magis florent diſciplinæ, quæ Principi magis arrident.

At poſito, tanquam vero, quod falſum omnino eſt, militem in exercitibus, qui mittuntur in Hungariam, eſſe minùs curioſum de propria ſalute, quid ego in præſenti potiùs facere poſſem ad damnandam negligentiam, quàm diligentiam laudare, & curioſitatem hominum?

Fertur autem, in Hungaria hiemis temporibus amplè nimis creſcere paludes, & tellurem fieri latè cœnoſam. Æſtate verò, ſubſidentibus aquis fluviorum, paludes maxima parte ſiccantur. Terra autem cœnoſa, ubique locorum accidat deficere in ea humorem, ferè ſemper aërem facit hominibus gravem. At exercitus utplurimum ducuntur non longè remotè a Danubii ripis. Nam jam omnes ſciunt, idem fere eſſe pro Danubii ripis, ac pro Hungariæ regno pugnare; regemque Hungariæ eſſe, qui liberè poſſidet Danubii ripas. Quo frequenter accidit, vel prope paludes, & in ipſis locis, quos etiam paulò ante latior palus occupabat, vel non nimis longè oportere caſtra ponere.

Porrò in Hungaria aquæ Danubii, etſi aliquantulum impuræ, reſpectivè tamen ad alias aquas, quibus miles uti poſſit, habentur ſalubres ſatis. Sed cum exercitus duobus, vel tribus, aut pluribus milliaribus removetur a Danubio, laborioſum nimis eſſet ad multitudinis uſum a tanto fluvio aquas advehere: quapropter paludum, & lacuum aquis utitur exercitus. Paludum autem aquæ (maximè ubi in palude,

lude, ſive lacu non illæ ſunt nimis altæ) vitioſæ ſunt, & morbificæ.

Quòd ſi putei excaventur, utplurimum haud ritè exſtruuntur; vel cum ritè priùs fuerint conſtructi, poſtea citò (quoniam ubi eſt multitudo, ſæpe ſæpius deeſt munditiés, & diligentia) facilè conſpurcantur, & replentur cœno.

Ac præterea pleriſque in locis Hungariæ ſoli natura hujuſmodi eſt, ut aliquid a terra, in qua excavantur putei, accipiant aquæ, quo inſalubres fiant, & morbos faciant. Id autem in iis puteis potiſſimùm contingit, qui de recenti excavati ſunt in terra Hungariæ. Cujus rei conjecturam haud levem facio ab alio quodam certiſſimo experimento, quo mihi conſtitit, in puteo quodam primo anno aquas fuiſſe graves, & inſalubres, poſtea redditas ſaluberrimas. Videlicet cum plus atque plus ſolvitur a terra, quo aquæ fiant vitioſæ, tandem deeſt, quod ampliùs ſolvi & aquis permiſceri poſſit; quam ob rem illæ remanent ſalubres.

In Hungaria item ſunt frequentiores aëris mutationes; & ſæpe in una, eademque æſtatis die tum aëſtatis, tum hiemis contrariæ conſtitutiones obſervantur. Eſt autem, ut memorant, ferè perpetuum in Hungaria æſtatis temporibus, cum Sol ſupra horizontem eſt, calores percipere milites vehementes; dum verò adveſperaſcit, & noctu frigora eoſdem percipere vehementiora. Simile quid memini, me quondam obſervaſſe in oſtiis Tyberinis; ubi etiam multi lacus, multæque paludes, quæ magna parte æſtatis temporibus,

poribus, ſubſidente Tiberi fluvio, ſiccantur, eſtque locus ille planè morbificus.

Atque hæ quidem potentes etiam cauſæ ſunt ad efficiendos morbos, & additæ univerſalioribus cauſis morborum caſtrenſium facilè efficere poſſunt, tum frequentiores, tum graviores, & curatu difficiliores eſſe morbos in exercitibus, qui mittuntur in Hungariam, quàm in aliarum regionum Europæ exercitibus.

Siquis verò alias novit in Hungaria ægritudinum militis cauſas, moneat quæſo, & ego, atque omnes habebimus gratias. Tanti autem intereſt, militem bene valere in Hungaria, ut omnes debeant, nedum omnes deceat, quæcunque notatu digna habent in medium afferre, ad hoc, ut faciliùs tum de præcautionibus, tum de efficacioribus præſidiis unuſquiſque pro virili excogitare queat.

CAPUT IV.

In quo agendorum ſumma traditur.

ILli autem, inquit Hippocrates, qui ægrotat, quoniam triticum edit, quod ex area ſuſtulit non elaboratum, & carnes crudas, & bibit aquam, quodnam remedium præparabimus? *Certiſſimum, & manifeſtiſſimum medicamentum eſt, victum, quo uſus eſt, auferre; & pro tritico panem dare* (bene fermentatum ſcilicet, & bene coctum) *pro crudis verò carnibus coctas; inſuperque vinum propinare. His permutatis impoſſibile eſt non fieri ſanum, niſi penitus fuerit*

 homo

homo tempore, ac priore victu corruptus. Patet enim lumine naturæ, oportere, quanto citiùs fieri poteſt, auferre id, quod nocet, ſi bene valere velimus; ac oportere immutare ſtatim vivendi rationem, quæ nocumentum affert, ſi velimus ab ægritudinibus, quas peperit mala victus ratio, perſanari.

I. Nos autem ad (*a*) Hippocratis ſimilitudinem dicamus, quod militi, qui ægrotat, quoniam nunquam, vel multò rariùs iis utitur, quæ multum ignis adhuc permixtum habent, oporteat dare aliquid naturæ familiare, quod jam adhuc, dum aſſumitur, multas ignis particulas permixtas habeat, actu calidum dicimus.

II. Si fortè panis (*b*) in caſtris peſſimus ſit, & idcirco ægrotet miles, oportebit pro peſſimo panem ſubſtituere optimum.

III. Si crudo, aut aliter vitioſo cibo (*c*) pluribus diebus ſucceſſivè, & ſine interpoſitione alterius cibi paſtus miles malè ſe habet in caſtris; ſingulis duobus, aut tribus diebus aliquid aliud interponat, & ut melius fieri poteſt, coctis, & bonæ qualitatis cibis veſcatur: & ex hoc capite bene ſe habebit, vel ſaltem difficiliùs ægrotabit. Enimvero natura humana fert quidem noxam multorum malorum, dummodo inter mala boni nonnihil juſtis intervallis temporum interjiciatur.

IV. Miles, qui, dum propter laborem aliquem

(a) *V. par.* 2. *cap.* 1. 2. & 3.
(b) *V. par.* 2. *cap.* 2. & 3.
(c) *V. par.* 2. *cap.* 2. 3. 4. & 5.

quem adhuc calidus nimis eſt, & humores nimiùm exagitatos, cordiſque motum multò concitatiorem habens (*a*) frigidam largè potat, & ſic ſuomet ſeſe enecat gladio, exemplum accipiat, vel ſaltem Dux militum exemplum accipiat ab equorum, & aſinorum cuſtodibus; qui arcent jumentum a fontibus, dum ſimiliter ex labore defatigatum humores rarefactos, & cordis motum habet concitatiorem: abſtineat, inquam, miles a frigidæ potu in hujuſmodi ſtatu corporis, ſinatque priùs humores, & cor conquieſcere; poſtea paulatim incipiat os abluere, ac demum bibat mediocriter. Sed largiùs bibere poterit, ſi aquæ puræ parum vini addatur; vel aqua aliqua utatur ex iis, quas facilè (*b*) & ſine impenſa parare docebo; eligatque aliquam, quæ non ſit ignava, & omnino ſine ſpiritu; vel addat aquæ puræ aliquot guttas ſpiritus vini, donec odore, & ſapore aqua percipiatur mutata, deinde illam bibat. Hac ratione ſi factum fuerit, non ægrotabit miles ex illa cauſa.

V. Quamvis autem (*c*) militis in arbitrio non ſit repentinas omnes aëris mutationes effugere; multa tamen fieri poſſunt, quibus vel non noceant, vel ſaltem multo minùs noceant, ac ſi jam noxam intulerint, quibus malum non creſcat in milite, nec incuria, & negligentia multiplicetur.

Si-

(a) *V. par.* 2. *cap.* 6. & 7.
(b) *V. par.* 2. *cap.* 7.
(c) *V. par.* 3. *cap.* 2. 3. 4. 5. & 6.

VI. Similiter cum militi juſtas (*a*) ob cauſas neceſſarium eſt aëre uti fovearum, & cuniculorum ſubterraneorum, præter quam cuniculi, & foveæ multiplici ratione conſtrui poſſunt, ut aër ibi ſit minùs noxius; aliquid etiam miles poteſt facere, vel aſſumere eorum, quibus in corpore contrarium fiat ejus, quod a noxio aëre factum eſt: videlicet opportuno, facili, & citò applicabili medicamento corrigatur corpus, & emendetur vitium, quod aër intulit.

VII. Similiter dicendum eſt (*b*), cum neceſſarius ex militiæ legibus fuerit uſus aëris prope foſſas, vel prope terram malæ naturæ de recenti excavatam, vel ubi in ipſa terra de recenti effoſa ſtandum ſit.

VIII. Item ut (*c*) præcaveantur morbi, miles degens in aëre gravi, & noxio omnino, debebit vigilare illis horis, in quibus in aëre gravi immorandum eſt: nam minùs, vigilans, & ſeſe exercens, afficietur ab aëre noxio.

IX. Quod ſi diutiùs (*d*) immorandum ſit in aëre vitioſo, & neceſſum etiam ſit (*e*) in eo aliquando dormire; non exiguum auxilium affert militi induſtria, qua creſcat circa ipſum proprius aër: atmoſphæra, inquam, creſcat proprii corporis, & conſerventur circa idem corpus halitus, & vapores, qui ab eodem continuò

(a) *V. par.* 3. *cap.* 3.
(b) *V. par.* 3. *cap.* 3.
(c) *V. par.* 3. *cap.* 4.
(d) *V. par.* 1. *cap.* 2. *num.* 10.
(e) *V. par.* 3. *cap.* 4.

tinuò emanant. Qua etiam induſtria defendetur corpus dormientis a repentinis pleriſque novi aëris mutationibus; & tutus erit ab iis ſubſtantiis, quas nebulæ noctu afferunt, tum etiam toto illo tempore fovebitur corpus ejusdem.

X. Cumque, pluribus (*a*) diebus ſucceſſivè non deponere veſtem militem, morbos parere poſſit; die, vel horis, in quibus vacat a militari exercitio, debebit purgare, & mundare corpus ſuum a ſordibus, & ſeſe abluere, ac ſibi perfricare membra, perungereque pingui aliqua ſubſtantia, ut eſt tantillum butyri exempli gratia; & ſatis perſæpe erit charta, in qua fuit conſervatum butyrum, membra perfricare.

Oportet autem in aliquibus hoſtes quandoque laudare. Turcæ enim multò meliùs, quàm noſtri, curant corpora ſua, mundaque, atque pura faciunt a ſordibus: quo meliùs tranſpirant, fortiores artus, & ad motus promtiores fiunt; corporaque ex hoc integriora ſervantur.

XI. Cæterùm etſi in caſtris ſomnus multoties interrumpatur militi, ſpeſque, timoreſque ſint etiam vehementiores; hæc tamen tanti non ſunt, tum quia brevi illis aſſueſcit miles; tum quia re vera nequaquam tam ſæpe interrumpitur militi ſomnus, ut multæ horæ non ſuperſint eidem tum ad reficiendum multipliciter corpus, tum ad ſatis, quantum opus, dormiendum.

(a) *V. par. 3. cap. 5.*

 Modò

Modò miles non abutatur tempore, & poſt militare opus non totus illecebris voluptatum, gulæ, & ludis inhoneſtis ſe tradat; ſat temporis habet ad ſui corporis curam habendam. Poſt militiæ opera ſupra omnia ſtudere debebit corpus ſuum curare, mundare, abſtergere, probè nutrire, cibo, potu, quiete, ſomnoque reficere. Quod ſi aliquid ſuperſit temporis, animi gratia in opus, quod libuerit, poterit impendere.

XII. Vermium denique (*a*) & muſearum copia, quæ ex parte ortum ducit ex hujuſmodi inſectorum pabuli in putreſcentibus corporibus abundantia, deſinet, ſi pabuli item in caſtris, & circum caſtra deſit abunduntia iſta. Videlicet ſi mundities ſit in caſtris, ſi cadavera animalium, & excrementa hominum terra condantur in foveis, non habebunt muſcæ tot nidos, in quibus ova deponant, minor erit vermium proventus, & parcior muſcarum, & ex his iternm vermium parcior multiplicatio; neque tam frequenter fœtore infeſtabuntur nares prætereuntium militum; & aër ex hac etiam cauſa erit magis purgatus.

Hæc autem, quæ hactenus dicta ſunt, evidenter, & facilè deducuntur ex iis, quæ ſupra narravimus, dum ea perquireremus, quæ militi in caſtris accidunt, ex quibus facilè ægrotat. Et ſinguli numeri illius capitis ſingulis reſpondent numeris hujus capitis, in quo ad exemplum Hippocratis loco cit. primas indicationes ferè

(a) *V. par. 3. cap. 3.*

ſere omnes, & agendorum veluti ſummam breviter, ſed clarè quidem tradere volui; ad hoc, ut unicuique facillimum ſit rem univerſam concipere, & ideam quandam mei laboris, & eorum, quæ militi neceſſaria ſunt ad tutandam ſalutem, ſibi mente confingere.

CAPUT V.

In quo ſolvuntur quædam difficultates.

VErùm enimvero iis ſæpenumero ſatisfaciendum quoque eſt, qui, cum plus ſcire exiſtimant, minus aliis ſciunt. Qui etiam notatu digni ſunt, non quia aliquid ipſi præſtant boni, non quia auxilium ullùm afferunt, & laborem aliis imminuunt; ſed quoniam, quicquid tandem dicatur, contradicunt; & invidi, atque iniqui in alterius nomen ſemper aliquid laudi, & gloriæ detrahunt eorum, qui bonum aliquod opus pro virili moliuntur. Difficultates ſemper objiciunt. Sinunt potiùs omnia ruere, quàm eum, quem ipſi oderunt, cum nominis gloria quicquam conari. Sed quemnan recta cogitantem, & proinde ipſis diſſimilem vita, moribuſque non odio habent?

I. Quorum aliquis primùm dicet, omnia, quæ ſuperiùs dicta ſunt, clara nimis eſſe, & doctis, atque indoctis æquè manifeſta, atque ideo contemnenda non minus, ac contemnuntur a plerisque nonnulli aphoriſmorum Hippocratis: *Ubi ſomnus laborem affert, malum. Si talia, qualia oportet, purgentur, confert & facilè*

lè ferunt. Morbi, qui ſiunt repletione, inanitione curantur: quoniam nihil peregrini, nihil vulgo ignotum edocent.

At ego inquam, modò vera ſint, quæ ſuperiùs tradita ſunt, idcirco maximi facienda eſſe, quoniam clara ſunt, & omnibus manifeſta. Ac ſi nihil aliud huc uſque præſtitum eſt, non eſt profectò hoc minimum, veritates plerasque ab omnibus admittendas veluti in catalogum retuliſſe, & eaſdem ante omnium oculos veluti expoſuiſſe. Veritas enim hujuſmodi naturæ eſt, ut, ſi quis eam ſemel inſpicere poſſit, facilè ex una alias veritates eliciat. Ac mihi videor, memorando ſolummodo ea, quæ militibus utilia, vel inutilia, aut etiam damnoſa ſunt, bene conſuluiſſe plurimis: nam remedii futuris morbis non minima pars eſt noſſe vias boni, & mali.

Placet autem ad nonnullorum confuſionem eundem Hippocratem, ſive auctorem libri *de Viteri Medicina*, in hunc ſenſum differentem adducere: *Si quis igitur de medicina loquatur, & audientium intelligentiam, atque animos ſermone non afficiat; neque ipſe etiam veritatis compos erit, & vana utplurimum loquetur.* Atque ego quidem illud mihi principio propoſui, ſic loqui, ut omnes intelligere poſſint, quæ dicam.

II. Alius objiciet, verum quidem eſſe, nocere militi propter laborem exæſtuanti frigidam largè potatam, etſi bonæ qualitatis fuerit; verum etiam eſſe, ex aquis pleriſque vitioſis bonas aquas comparari poſſe; & non eſſe impoſſibile multa præſidia nos habere adverſus aëris mutationes

repen-

repentinas, & fovearum, cuniculorumque, & nebularnm malignitatem. Sed hoc opus, hic labor eſt, omnia evitare, quæ noxia militi in caſtris, & præcipuè in Hungaria ſunt; & ea facere, quibus morbi præcaveantur, quæve militi ſint utilia, adminiſtrare.

Reſpondebo, pleraque ex iis, quæ dicta ſunt, mihi videri omnino facillima; reliqua verò, modò induſtria, & diligentia aliqua adhibeatur, non eſſe nimis difficilia. Ac certo ſcio, iiſdem in caſtris, & in eadem urbe hic Viennæ (nam profectò dantur in urbibus morbi morbis caſtrenſibus perquàm ſimiles) alios cæteris omnibus paribus ob ſolam adhibitam prudentiam, & diligentiam vel non ægrotaſſe, vel levioribus morbis fuiſſe afflictos; cum alii ob non adhibitam prudentiam, & deligentiam vel perierint, vel difficilioribus, & gravioribus morbis fuerint moleſtati, & plures recidivas fuerint paſſi.

Ex quo manifeſtum eſt, dari artem quandam ſalutis conſervandæ in caſtris, ſed non eam eſſe notam omnibus. Ac proinde ſi pleniſſimi faſtu homines in his nolint eſſe occupati, ſaltem debebunt concedere aliis in ejuſmodi arte excolenda inſudare, & meliori, ac faciliori, qua fieri poteſt, via militem in his, quæ pertinent ad conſervandam ſalutem in caſtris, inſtruere. Dedit enim Deus ſuæ infinitæ providentiæ, & ſuæ infinitæ ſapientiæ particulam quidem homini minimam; quæ tamen tanta eſt, ut ſi ea utamur, quam plurima ſanè pericula, & complures ægritudines tuti, ſanique evadere valeamus.

mus. An omnia excogitata? an omnia tentata hactenus ſunt? an hujuſmodi providentiæ divinæ particula ſatis uſi ſumus? an, quia non omnibus malis occurrere datum eſt, nulli occurrendum? Mihi videtur, quod non. Ac meo quidem judicio unuſquiſque ſic ſeſe gerere debet, ut, etiam ſi rerum eventus non ſit ſemper felix, gloriam tamen, honeſtumque nomen, quoniam ex parte noſtra, quod potuimus, conati ſumus, ſemper mereamur.

III. Aliquid etiam reſpondendum eſt ſtultiſſimis quibuſdam, etſi non raró nobili in loco natis, qui inquiunt, ſtatutum eſſe homini ſemel mori; ac cognoviſſe Deum terminos hominis, qui præteriri non poterunt. Alii autem his aliquantò pejores omnia caſu, fortunave regi exiſtimant, ac proinde nihil curandum cenſent.

O terque, quaterque ſtultiſſimi, inquam, qui creditis, altiſſimi Dei judicia, decreta, mentemque cognoſcere, quive omnem libertatem, omnem prudentiam ab homine tollere conamini. Ac licèt vobis omnibus dura rumpantur ilia, non poteritis omnem exuere prudentiam, quam vobis immeritis dedit Altiſſimus. Cur enim vos editis? cur bibitis? cur nunc jacetis, nunc ſurgitis? cur non vos alta præcipites ex rupe datis? Ac pro illis, qui ſcripturas afferunt, adjiciam, ſcriptum etiam eſſe, ſervum illum nequiſſimum, & infidelem, qui talentum, quod dederat Dominus, ſepeliverat, eoque minimè uſus nihil ſuperlucratus fuerat, in æternos carceres fuiſſe protruſum. Sed non oportet vobiſcum multis

multis agere, qui propter pervicaciam cordis veſtri jam videmini beſtiis, quàm homini ſimiliores, & meliorum cogitationum incapaces.

IV. Quòd ſi diſpliceat fortè aliquibus, me in his excogitandis fuiſſe primum, poterunt ipſi, etſi ſecundi, omnem mihi laudem gloriamque eripere, meliora & ſaniora conſilia afferentes; & ego etſi primus in his tentandis humilis, & in alios quoſcunque venerabundus gratias habebo. Nam mihi quidvis potius videtur, quàm otioſos, & ſocordes nos eſſe tanta in belli neceſſitate. Idem autem eſt, belli ſummam neceſſitatem urgere, ac oportere, ut ſic dicam, vel ſaltem maximè expedire, de iis omnibus ſedulò cogitare, quibus miles in caſtris a morbis poſſit præſervari. Miles enim corpore infirmus eſt tanquam non eſſet miles; eſt inutilis, & graviſſima ſarcina ſanorum militum; eſt veluti caro ſine ſpiritu, quam impunè propter ſævitiem pedibus premant hoſtes.

Verùm enimvero, non ego ſolus his operam dedi; neque, quæcunque dico, mei capitis conſilia ſunt. Nam præterquam, quod præ me fero, & muſcas, & formicas, & exiguæ aquæ decurrentis motum, & omnia quæcunque ſunt, perquàm frequenter me habere doctores; omnes etiam interrogo honeſtos, doctoſque viros, quos convenio; ab omnibus erudior. Voſque amici cujuſque generis, atque ſtudii, ſcitis, hæc me ſincerè fateri; qui ſæpe de his, atque aliis a me interrogati lumen non exiguum ad hæc eadem concinnanda, & ſcribenda præbuiſtis.

PARS

PARS SECUNDA.

De cibis, & potibus ſalubrioribus paratu facilibus, quibus milites in caſtris uti poſſint.

ALiquantulum animo hærens cogitavi, an priùs de aëre, aërisque vitiis ſive evitandis, ſive emendandis diſſererem; ſiquidem aër magis neceſſarius ſit ad vitam vel ſuſtentandam, vel prorogandam, quàm quodcunque aliud natura habet. Verùm animadvertens ante omnia, militem eſſe ſollicitum de eo, quod ſit bibendum, vel edendum; de cibis, & potibus ſalubrioribus principio agere volui. Cumque aqua fervens, vel ad ſitim ſedandam, vel ad ſtomachi gravedinem corrigendam, vel ad pleroſque cibos ritè, & brevi tempore parandos, maximi uſus ſit; poſthabitis nunc aliis, de aquæ ferventis præſtantia, & utilitate primùm agere libuit: poſtea pluribus capitibus loquar de cibis ſalubrioribus paratu facilibus: deinde de aquarum vitiis emendandis: poſtremò de nonnullis aquis medicatis, quæ facili negotio & brevi tempore haberi poſſunt. Ac in his, aliiſque, quæ deinceps dicam, Lector ingenuus cognoſcere poterit, me methodum tradere facillimam, quæ brevi tempore, & abſque ulla notabili impenſa

in praxin deduci queat; quæ non diſturbet, vel avertat militis animum a militari exercitio; quæve efficax nimis ſit ad morbos vel arcendos, vel profligandos, & ad hominem ſanandum.

CAPUT I.

De aquæ ferventis præſtantia, atque utilitate.

TOt, tantaque commoda militi eſſe poſſunt ex uſu ſimplicis ferventis aquæ (quæ aliàs non ſit vitioſa) & tam facili negotio paratur aqua fervens, ut omnino expediat iis omnibus jubere, qui igne pro aliis parandis utuntur, magnam ollam ſemper habere ferventis aquæ, qua ſine pretio, & promtè abſque temporis mora miles, qui ignem non habet, uti poſſit, ſi velit. Sine pretio, inquam: nam cum ignis alia ex cauſa abſumatur, hæc fervens aqua nihil omnino venit; cognitaque ejuſdem præſtantia, & utilitate omnino ſine pretio, & libenti animo militi danda eſt, ad hoc ut ſæpius, vel ſemel ſaltem in quaque die (niſi fortè quid aliud aliquando nimis urgeat, quo dux, & miles teneantur corporis curam negligere) bona facie redeat ad ſibi accipiendam novam aquam ferventem, qua bene valeat, & a morbis præſervetur.

Omitto ſimplicis aquæ calidæ extrinſecùs uſum, & caſus omnes enumerare, in quibus prodeſſe poſſit, quorum nimium ſolliciti fuere antiquiores; dicam tamen, certum eſſe apud me, ea, quæ nimis deprædicantur de potione Caphe, & herbæ The, & nonnullarum aliarum rerum

rerum, maxima parte effectus eſſe ferventis, ſive calidæ nimis aquæ. Quod omnes facilè admittent, qui Caphe ſine aqua pluries deguſtaverint, & devoraverint: non enim fiet illis ulla notabilis ſpirituum alacritas, quæ magna ſanè eſt, ſi decoctum fervens ſumatur pulveris Caphe. Hæc autem alacritas ſpirituum notabilis etiam eſt, ſi tantùm nonnulla cochlearia ſimplicis aquæ ferventis accipiantur: fervidæ, inquam; nam non ſatis eſt, aquam eſſe tepidam tantùm. Coccolata autem etſi meo judicio ſit efficacior, ſumta tamen ex ſe ſic ut eſt ſicca, & non actu calida, liquataque in aquis, non equidem eos præſtat effectus, ac dum permixta ferventi aquæ accipitur. Vt proinde fatendum etiam ſit, maxima parte Coccolatæ potionis effectus deberi ferventi aquæ, quæ ex ſe ſine ulla additione efficit, ut rareſcat ſanguis, & turgeant venæ, & ut homo ſit alacrior, & promtior ad opus quodcunque.

Item multum juri carnium cum ſæpe ſæpius tribuamus, rectiùs majora debemus aquæ ferventi, ſive calidæ nimis, ex qua potiſſimùm conſtat jus. Quin non raro jura carnium nocent, quoniam multum habent ejus ſubſtantiæ, quæ a carnibus ſolvitur; hoc eſt, multum habent glutinis. Ac ſi ſinas juris aquas evaporare, nihil ſupererit, niſi gluten, & fortaſſis ſupernatans quædam pinguedo, ſi pinguis fuerit caro. Quamobrem nonnulli medici aliquando jura præſcribunt, quæ parum habeant ſubſtantiæ carnium, longa quidam appellant, & *Brodi liſci* dicuntur Romæ, quæ nihil aliud ſunt, quàm

quàm multum ferventis aquæ, & vix aliquid aliud ex carnibus, aliiſque, quæ decoquuntur, acceptum. Gluten autem, ſive hoc, quod diximus ex carnibus ſolvi in aquis, ex ſe ſine aqua acceptum in iis caſibus, in quibus ſola aqua fervens nimis conducit, nocebit potiùs, quàm juvabit.

Nolim autem hic rem ſanè meritò magnificandam ſic ampliare, ut ea videar vel damnare, vel imminuere, quæ in aquis decoquuntur. Neque contendo, eam nunc conſuetudinem antiquorum renovatum iri; qui quò calidiores ſumi poterant, aquis ſitim ſedabant, & corpora reficiebant. Sed illud conſtanter affirmo, militibus, qui non poſſunt quicquam calidum tam frequenter in caſtris aſſumere, ac conſueverunt in urbibus, convenire nimis aquam ferventem, quæ multorum paullò ante ab igne remotorum, & multum adhuc ignis premixtum habentium vices optimè ſupplere poteſt. Et modò unus ſit, qui pro multis eam præparet, uſus ejuſdem nullum affert aut æris, aut temporis diſpendium. Placet autem, pro majori militis intelligentia, & majori facilitate, nonnulla aquæ ferventis commoda in numeralem ordinem digerere. Pono autem jam adeſſe aquam puram ferventem.

I. Ferventem inquam aquam, hoc eſt, quò calidior ſumi poteſt, efficaciter ſitim ſedare.

II. Aqua fervens, ſumta paullatim ad plura cochlearia, ſtomachi præcedentem cruditatem, & gravedinem curat.

III. Sanguinem eadem rarefacit, & vaſa red-

dit

dit turgidiora; fitque homo ex ea validior, & promtior ad quæcunque.

IV. Aqua fervens, ſumta quò calidior ſumi poteſt, magnum eſt plerorumque internorum dolorum mitigativum remedinm.

V. Aqua fervens, eodem modo ſumta, facilè permeans partes cunctas corporis, omnia fovet, diluit, & ſolvit, vimque infringit cauſarum omnium efficaciorum ad morbos faciendos; contemperat ſcilicet quæcunque excedentia ſunt in corpore.

VI. Aqua fervens ſub noctem ſumta ad dulces invitat ſomnos.

VII. Si adſit aqua fervens, brevisſimo tempore tum plerique ſalubres cibi parari poterunt, tum etiam breviſſimo tempore multæ aquæ medicatæ efficaces ad morbos depellendos, vel ad ſalutem tuendam poterunt haberi.

VIII. Aqua fervens aptiſſimum vehiculum eſt multorum medicamentorum, ſive ut homo confirmetur, ſive ut curetur a morbis. Exempli gratia cum multoties poſſit conducere accipere pulverem vel menthæ, vel majoranæ, vel pulegii, vel piperis, vel nucis moſchatæ, vel caryophyllorum, vel meliſſæ, vel ſeminum rutæ, aut baccarum lauri, vel ſeminum coriandrorum, aut fœnicnli, aut pulverem radicis glycyrrhizæ, aut contrayerbæ, aut enulæ campanæ, aut armoraciæ, aut ſantali, tartari, ſennæ, aliorumque plerorumque medicamentorum, aqua fervens omnium, atque ſimilium aptiſſimum, & commodiſſimum vehiculum eſſe poteſt.

Ac

Ac quidem de aquæ ferventis uſu atque præſtantia in præſenti dicta ſint ſatis: nam multa alia addemus de ejuſdem uſu in ſequenti capite *de cibis ſalubrioribus facilè parabilibus*; ac poſtea, cum de aquis medicatis dicam, nonnulla etiam de ejuſdem uſu addemus. Moneo autem omnes, ne quicquam ex his temerè, priuſquam experimentis rem probaverint, damnandum exiſtiment.

CAPUT. II.

De cibis ſalubrioribus, qui facilè, & breviſſimo tempore parantur cum aqua ferventi.

ETſi de cibis facilè parabilibus hoc capite agere ſuſceperim, non tamen ſic citò ſermonem deſeram præcedentis capitis *de aquæ ferventis præſtantia, & utilitate*: nam quamplurimi cibi, congrui ad ſanitatem conſervandam, momento temporis, vel nictu oculi, ut ſic dicam, præparari & haberi poſſunt, dummodo aquam ferventem promtè, & abſque mora habeamus. Quorum cum multæ tradi poſſint formulæ, operæ pretium erit, in militis gratiam nonnullas hic exponere, in quibus manifeſtum erit, omnino eadem uſurpata nocere, vel prodeſſe homini ex hac una tantùm cauſa, quòd cum aqua minimè ferventi, vel cum ferventi aqua aſſumuntur.

I. Detur homo vulgaris, qui panem habeat, & caſeum, & aquam bonam, qualis aufertur a

 bono

bono puteo; & his pro ſui ſuſtentatione multis diebus utatur:

Dico, quod progreſſu temporis homo calidis aſſuetus facillimè ex hoc cibo ægrotabit.

Quod ſi his iiſdem idem homo utatur, verùm pani in fruſtula conciſo, caſeoque ſuperaſperſo tantum ſuperinjiciatur ferventis aquæ, quantum panis poteſt imbibere, & his omnibus adhuc nimis calentibus veſcatur, & longo tempore his tantùm nutriatur: difficulter, inquam, ex cauſa hujus cibi ægrotabit.

II. Detur homo, qui panem habeat, & laridum, vel bovis pinguedinem opportuniori tempore, cum magis licuit, priùs coctam diligenter (qua ratione diutiſſimè ſervatur), habeat ſalem, habeat aquam bonam, ſed qualis aufertur e laudabili puteo, vel flumine; hisque utatur:

Dico, quod facillimè ratione hujus victus ægrotabit: neque ſatis præſidii eſt, pinguedinem olim fuiſſe coctam.

Verùm ſi illis iiſdem aqua ſuperinfundatur fervens, ut liqueſcat pinguedo, & panis imbibens fervidam molleſcat, & rareſcat ſimul, &, cum adhuc omnia ſatis calida ſunt, devorentur: ex cauſa, inquam, hujus vivendi rationis homo difficulter ægrotabit.

III. Similiter omnino dicendum eſt, ſi loco pinguedinis ſive bovis, ſive ſuillæ, ſive hirci, ſive alterius ſimilis, butyrum habeant milites, vel pingue oleum: facilè enim pane, ſale, butyro, vel oleo, cum ferventi aqua bonos cibos præparabunt ſine ullo ſatis notabili aut æris, aut

aut temporis diſpendio. Cum contra illis iiſdem pluribus diebus uſi, tantum quoniam aqua non ſit fervens, facilè ægrotabunt.

IV. Operæ pretium autem non rarò eſt (maximè ſi aëre frigidiore, vel nebuloſo quis uſus fuerit) allium crudum perfricare ſupra diſcum concavum; deinde panem ſuperimponere, ac demum aquam ferventem, in qua ſalis momentum, & pinguedinis alicujus tantillum fuerint liquata, ſuperinfundere, & his calidis veſci.

V. Pleriſque autem ex his, quæ ſupra dicta ſunt, frequenter operæ pretium eſt addere vel pulegeii, vel majoranæ, vel ſerpilli, aut ſimilis alicujus bene olentis plantæ pulverem; vel contuſorum ſeminum anethi, aut fœculi, aut coriandri aliquid commiſcere, prout melius unicuique videbitur.

VI. Quod ſi pani ſuperinſperſi fuerint pulveres piperis, nucis moſchatæ, caryophyllorum, cinnamoni, zingiberis, ſimiliumque; & ferventes aquæ, in quibus butyrum, vel quid ſimile ſit ſolutum, ſuperinfundantur; erit profectò cibus multò gratior, & ſalubrior quamplurimis eorum ciborum, quibus ipſe dux frequentur utitur.

O ſi pauperes ſcirent, quàm facilè in omnibus ſibi provideri poſſit, & quàm vani ferè ſemper ſint rebus in omnibus in divitum vita apparatus; non equidem de natura, tanquam ipſis injuſta, conquererentur, & multò minus divitibus inviderent. Memini autem me legiſſe, Epicuri fuiſſe ſententiam, ea, quibus homo utitur, in tres claſſes dividi poſſe: primam eorum, quæ

non ſolum utilia, ſed etiam neceſſaria eſſent: ſecundam eorum, quæ utilia quidem ſunt, ſed non ſunt neceſſaria: tertiam eorum, quæ neque utilia, neque neceſſaria eſſent; ac ea dixiſſe, quæ primi generis ſunt, facilè, ac nullo penè negotio haberi; ea verò, quæ utilia quidem ſunt, ſed non ſunt neceſſaria, multò ſanè difficiliùs comparari; tertii demum generis, quæ neque utilia, neque neceſſaria eſſent (ut exempli gratia ex auro bibere, cum poſſis vitreo, vel ligneo ſcypho, vel manibus uti pro ſcypho) omnino difficillimè haberi. Ego autem non ſemel obſervavi, divites iis, quæ utilia quidem, ſed non eſſent neceſſaria, vel iis, quæ neque utilia, neque neceſſaria eſſent, nimis intentos, frequenter caruiſſe utilibus, & neceſſariis. Et vidi aliquando, in pauperis anguſta caſa omnia mortali hominum vitæ neceſſaria ad nutum promta fuiſſe: cum ſæpe etiam viderim, juſſiſſe divites, rerumque dominos, cubiculario aquam adportandam pro abluendo ſicciſſimo ore, at cubicularium juſſiſſe alteri, & iſtum alteri, qui non erat, vel noluit eſſe domi; ut proinde aqua non fuerit allata, niſi poſt horam unam, vel alteram. Et quidem in divitum, & maximè Principum domibns quæcunque leviſſima, & facillima, negotii ſemper pleniſſima ſunt. Poſſem Principes ſupremi ordinis, mortis in agone, omnino deſertos a ſuis commèmorare (ut omittam eos, quos venena ſuſtulerunt) cum pauper a filiis, uxore, & nepotibus non deſeratur, neque a venenis ſibi quicquam timendum habeat. Non fuit Epicurus epulo, non fuit mehercule helluo,

ſuo. Et M. Tullius Cicero, qui Epicuri pluries damnavit doctrinam, non damnavit vitam vivendique normam, non damnavit mores. Quin ex Diogene Laërtio clariſſimè conſtat, Epicurum fuiſſe parciſſimum, ſive, quod idem eſt, paucis indigentem. Sed, quæ hominum etiam in nomine fortuna eſt, neſcio, cujus ſcriptoris libidine primùm factum ſit, ut is, qui fuit parciſſimus Epicurus, crapulis, & comeſſationibus nimis intentus habeatur! Sic Virgilio placuit in Pœnorum odium pudicam Didonem facere ſcortum; & Homero placuit ſcortum Penelopem poſteris dare pro pudicitiæ exemplo. Ita quoque, ut cecinit Ludovicus Arioſtus Octaviano Imperatori,

L'aver havuto in poëſia buon guſto
La proſcrizione iniqua gli perdona.

Et præclariſſimus *Dante*, ut hominis libido fuit, alios poſuit cum Plutone, alios in Empyreo, ubi collocavit Juſtinianum Imperatorem, qui, ſi credendum arcanæ hiſtoriæ Procopii, fuit homo infidelis, &, ut uno verbo dicam, ſceleſtiſſimus; ejuſque uxor Theodora fuit feminarum omnium facilè peſſima. Ingenio, inquàm, prudentia, & induſtria, quæ omnium in medio ſunt, polleat pauper; & ſatis erit, quantum humana patitur natura, felix. Ingenio pollebat Epicurus, & clarè videbat, naturam paucis iiſque paratu facillimis indigere. Quod ſi eandem multis, atque multis minùs neceſſariis oneres, facilè morboſam reddes; neceſſitatibus natura-

 libus

libus alias atque alias malis conſuetudinibus adjicies neceſſitates; & miſeriis omnibus eandem naturam facilè cumulabis.

Sed revertar ad rem, de qua in præſenti ago; & priuſquam de pane in ſequenti capite quædam animadvertam, quoniam ex iis, quæ alia occaſione a pleriſque malè ſanis audivi, exiſtimo fore, qui dubitent, pulegii, vel majoranæ, vel ſerpilli pulveres cibis addere, ut numero V. dictum fuit, & multò magis dubitent de pipere, nuce moſchata, caryophyllis, ſimilibuſque, de quibus aliquid dictum eſt num. VI. ex cauſa, quod illa omnia ſimiliaque calida dicantur, & proinde nocere potiùs, quàm prodeſſe; non abs re erit breviter eoſdem ſeriò monere, quod maximè decipiantur, & nihil omnino naturæ noverint. Ac libet pro nunc iiſdem verbis reſpondere, quibus illi non rarò uti conſuevere; videlicet illa omnia, atque ſimilia, calorem nativum corroborare, & putredini maximè reſiſtere, atque ideo prodeſſe. Vetus autem experientia ruſticos docuit, iis, qui æſtuant, & laboribus laſſi ſunt, prodeſſe tum illa, tum alia quæcunque ſunt illis ſimilia: Hinc

Theſtylis & rapido feſſis meſſoribus æſtu
Allia, ſerpillumque herbas contundit olentes.

Quibus etiam, antiquis temporibus ante natum Virgilium, meſſores reficiebantur; & nunc etiam refici ſolent, ut pluries ab iis ſervis tuis, Illuſtriſſime Marchio Philippe Nerli, audivi in oſtiis Tiberinis, qui ſole ſub ardenti diebus canicu-

nicularibus ſalem urbi Romæ ex maris aqua tuo juſſu comparant; qui plus, & frequentiùs altercantur invicem pro allio, quàm pro obſoniis delicatioribus.

CAPUT III.

In quo animadverſiones quædam circa panem continentur.

QValis ſit panis optimus, non eſt opus explicare. Præſtitit hoc Hippocrates, cujus temporibus fortaſſis complures ignorabant optimi panis notas. At noſtris temporibus omnes jam ſciunt panem bonum a non bono diſtinguere: ac ſi velint illi, qui ex optima farina peſſimum conficere panem ſtudent, etiam ſine ullo doctore poterunt, modò velint, ex non optima farina, induſtria, & labore panem facere optimum. Sed contra nolentes ſibi & proximo prodeſſe, & muneri ſatisfacere, non ego, cui non ſunt manus armatæ, habeo, quod dicam.

De pane autem animadvertenda duco, quod etiamſi optimus ſit, facilè ſitum contrahat, & mucidus maximè in loco humido fiat. Id tamen breviori tempore, & graviùs, ſive majori cum panis vitio contingit, ubi is fuerit malè coctus.

Ac ſitus quidem primis diebus, vel primis horis in pane crudiori haud facilè cognoſcitur ab omnibus. Videlicet illa panis diſpoſitio ad corruptionem, ſive ad muciditatem acquirendam haud facilè primis vel diebus, vel horis co-

gnoſcitur: eſt tamen tunc etiam panis minùs proficuus naturæ; ac ſi vitium fuerit majus, quod lapſu temporis ſemper contingit, omnino nocebit.

Vitium autem hoc optimè aufertur, ſi panis offæ aſſentur prius, quàm ejuſdem uſus ſit, & exſiccentur probè prope prunas. Et multum ſanè intereſt, an hujuſmodi pane ſic correcto, & præparato tum in iis, quæ dicta ſunt capite ſecundo, tum in aliis multis utatur miles; an verò pane non correcto, & non præparato; eoque, qui plurium dierum, vel crudior cum ſit, non denuò prope prunas fuerit aſſatus. Quod cuicunque experimentum facienti clarè conſtabit.

Omnino autem debebit miles panis offas priùs aſſare, cum ille fuerit crudior, & a notabili tempore confectus. Sed ſi paucarum horarum ſit, & non adhuc ſitum & muciditatem contraxerit, omitti poteſt aſſatio, ſi inciſum in fruſta velit miles illum decoquere in jure aliquo, vel in aquis, & ſalem, ac pinguem aliquam ſubſtantiam addere.

Cæterùm panis jam nimis mucidus omnino abjiciendus eſt. Vel ſi adeo mucidus non ſit, & eo pauperes milites uti velint, non, inquam, ſufficit illum iterum decoquere in aquis: nam facilè fieri poteſt, ut ſic decoctus promtiùs, & graviùs noceat. Verùm priùs in offas inciſus optimè exſiccandus, & lento igne aſſandus erit: qua ratione pleraque panis vitia coriguntur.

Atque ſic ſtrenuus miles prudentia, & induſtria ſua iis malis, quæ panis minùs bonus parere

ſe poteſt, facilè occurret, & ſervabit ſe ſuis, & patriæ.

CAPUT IV.

De aliis ſalubribus cibis brevi tempore parabilibus, quibus miles uti poteſt.

CIbi, quos deſcripſi cap. 2. hujus ſecundæ partis, ſaluberrimi quidem ſunt; & ubi promtè adſit aqua fervens, & panis alias ſit optimus, vel priùs ſit aſſatione correctus, ferè oculi nictu facilè præparantur. Sunt autem & alii cibi item ſalutares, qui non equidem breviſſimo, ſed tamen brevi tempore parari poſſunt.

I. Hujusmodi eſt cibus, qui brevi tempore ex ovis conficitur. Ova autem cum multipliciter parari ſoleant, commodiſſimè, & aptiſſimè pro explenda militis fame, ovum unum, vel alterum conquaſſantur, & in lebetem, in quo ſit juſta quantitas ferventis aquæ, quæ ſalem, & parum butyri, vel olei, vel alterius pinguis ſubſtantiæ habeat admixtum, injiciuntur: ſtatim enim erunt cocta; & hæc omnia ſuperinjecta pani erunt militi ſalutaris cibus, quo poſſit ſatiare famem; cum aliàs multa ova aliter parata, vel minùs ſalubria ſint, vel minùs faciant ſatis. Nonnunquam ovis conquaſſatis addi poteſt pulvis piperis, vel majoranæ, vel nucis moſchatæ, vel alterius rei, prout videbitur.

II. Herbæ etiam pleræque citò coquuntur,

ut lactuca, borago, endivia, cichoreaceæ nonnullæ, quibus non rarò, ſi placebit, ovum conquaſſatum addetur.

De herbis autem monendum eſt, ignaviores eſſe, quas recenſuimus, & minùs frequenter prodeſſe iis, qui caſtra ſequuntur, quum, cæteris paribus, proſint herbæ efficaciores, & aromaticæ, & illæ præſertim, quæ antiſcorbuticæ a pleriſque Medicorum appellari conſueverunt; videlicet apii varia genera, petroſelinum, armoracium, raphani domeſtici, & naporum plura genera, ſinapi, naſturtium, & aliæ pleræque plantæ.

III. Brutii in Italia, qui ferè ſemper toto anno montium, quos inhabitant, alta cacumina nivoſa vident, panem aſſant, & eodem tempore aſſant laridum; quod, cum calidum eſt, comprimunt inter panis offas item calidas, ad hoc ut pingui liquore expreſſo panis eo imbuatur, & pluribus diebus anni hoc tantùm cibo paratu facili vivunt, & bene valent.

IV. Hujuſmodi etiam ſunt cibi, qui ex farinis pleriſque conficiuntur: farinæ enim, ſi diligentia adhibeatur, & aqua jam priùs fuerit fervens, brevi temporecoquuntur. Diligentia autem conſiſtit I. in eo, quòd aqua debeat excedere potiùs, quàm deficere. Nam etiamſi poſtea cibus iſte ſit liquidus nimis, & bibatur potiùs, quàm edatur, nihil nocebit: ſi verò propter aquæ defectum fuerit ſpiſſior, tum difficulter, & pluribus nominibus minùs probè coquetur farina; tum etiam poſtmodum cibus iſte facilè nocere poterit. Altera cautio eſt, ut farina ea ra-

ratione injiciatur in ferventes aquas ſemper agitando, ut eadem non abeat, ſive non contornetur in globulos, qui difficulter profectò coquuntur: quoniam bullientis aquæ efficacia difficulter penetrat ad partes internas ſimilium globulorum, qui non raro circa centrum nihil aliud continent, niſi ſiccam adhuc farinam. Contingunt hæc, cum non lente, & ſparſim, ſed multum in uno loco injicitur farinæ, vel cum eadem manibus ſimul compreſſa, ut ſimul hæreant inter ſe atomi, apprehendantque ſeſe ad invicem, ſic compacta in ferventes aquas dejicitur. Si qui verò ob non adhibitam diligentiam apparent globuli farinacei, ſunt iidem lignea ſpatula, vel ligneo cochleari incidendi, & diſrumpendi in plures partes, ad hoc ut, aqua omnes farinæ atomos pervadente, ex omnibus fiat unum corpus ſimilare ſufficienter coctum.

Farina autem eſſe poteſt vel tritici, vel hordei, vel milii, vel frumenti indici, vel orizæ, vel cicerum, vel fabarum, aliorumque ſimilium: quæ omnia, comminuta in pulverem, perquàm citò coquuntur.

Illis autem, dum coquuntur, utiliter additur pinguis aliqua ſubſtantia; nec non etiam utiliter additur pulvis vel majoranæ, vel rorismarini, vel pulegii, vel piperis, vel quid his ſimile.

V. Cæterùm prætereundum non eſt, omnia, quæcunque in ciborum uſum venire poſſunt, comminuta nimis, & in minutas partes inciſa citò decoqui; adeo ut carnes duriores, quæ quinque

quinque horarum indigent elixatione, in tenues talcolas inciſæ aquarum ferventium ebullitione ſpatio dimidiæ horæ ſatis coctæ eſſe poſſint. Ac ſi, poſtquam fuerint in minutas partes conciſæ, contundantur etiam, & in aquis ſimiliter ferventibus ſtatuantur (non tamen in unam maſſam compactæ), multò breviori tempore erunt coctæ ſufficienter.

VI. Notandum etiam eſt, carnes ſalitas, fumoque induratas, ut etiam & piſces, quibus abſque ulteriori coctura, & maturatione frequenter pro obſoniis milites utuntur, vel non lædere, vel certè multò minus lædere, ſi minutim, atque minutim, priusquam edantur, gladio dividantur in particulas; & exinde probè etiam dentibus comminuantur, & ſalivæ permiſceantur, ac demum devorentur.

Nolo autem militis mentem defatigare cauſas tradendo eventuum prædictorum; quæ tamen meo judicio ſunt claræ nimis, & manifeſtæ.

CAPUT V.

De aliis cibis, qui longiori indigent coctura; deque victu ejus militis, qui minùs curioſus eſt circa conſervandam propriam ſalutem.

VErùm enimvero ferè nunquam in militum multitudine tanta rerum prudentia eſt, ut unusquisque ſibi ſufficiat, & ſuimet ac propriæ ſalutis, quantum opus, curam gerat. Sunt etiam aliæ rationes adhuc intactæ præparandorum ciborum ſalutarium, non equidem dam-

damnandæ, ubi non ſit quotidie in itinere exercitus, ſed jam ad plures dies caſtra poſuit. Suntque alii cibi minimè rejiciendi, qui longiore indigent coctura & præparatione, in qua non eſt operæ pretium unumquemque militem ſingulis diebus eſſe occupatum. Et illud omni ſtudio tentandum eſt, ſi victorias de hoſtibus reportare volumus, ut miles ſit ſanus, & validus: nam miles ægrotans, & impotens ſibimet, & commilitonibus ſuis, & ipſi Duci eſt gravis ſarcina; ſive, ut clariùs loquar, multis ægrotantibus decreſcit militum numerus in exercitu, & nimiùm, atque nimiùm creſcit impedimentorum ſarcina. Quod heu nimiùm verum compertum eſt in ultimæ obſidionis Budenſis ſolutione, in qua multa millia ægrotantium, & malè valentium militum relicta ſunt trucidanda hoſti.

Atque ideo res univerſa ita mihi diſponenda videtur, ut veluti neceſſitate quadam miles, qui ad ſui curam gerendam idoneam rerum ſcientiam non habet, bonis, coctis, & calidis, ſaltem per juſta quædam intervalla temporum, utatur cibis; & neceſſitate quadam, quantum humana prudentia promittere poteſt, ex hoc capite bene valeat.

Hæc autem neceſſitas, ſive quaſi neceſſitas, qua miles de ſemetipſo minùs curioſus veluti cogatur ad cibos ſalutares ſumendum, facilè iis artibus inducitur, quæ occultè trahunt animum militis; iis, inquam, artibus facilè inducitur, quæ cunctorum hominum, & aliorum quoque animalium trahunt animos.

Illæ autem ferè ſemper, maximè ſi loquamur reſpectivè ad multitudinem, baſin & fundamentum præcipuum habent præſens, & evidens commodum; præſentem & evidentem ſive hominis, ſive alterius animalis utilitatem. Nam his, commoditate ſcilicet, & evidenti atque proxima utilitate, efficaciſſimè moventur tum homines, tum cætera animalia.

Videlicet ſi in cohorte ſit aliquis cibos præparans ſalutares, qui viliori, quo fieri poteſt, pretio militi vendantur; utique miles, qui non eſt ex ſe de ſuimet ſanitate conſervanda nimiùm ſolicitus, neceſſitate naturæ incitatus, & ſtimulatus ad cibos capiendum; invitatus bonitate & vili pretio ciborum, libenter accedet ad vendentes, & cibos ſibi emet ſalutares; expertusque ſemel, illos profuiſſe, & quòd paucis obolis ſuam potuerit ſatiare famem, libenter iterum atque iterum redibit ad eundem, ſive ad eosdem vendentes, pro ſimilibus cibis.

Sed duplex hic inſurgit difficultas. Prima, quòd in caſtris vili pretio ſalutares cibi non poſſint vendi. Altera, quòd miles parùm curioſus de ſui ſanitate conſervanda vel nunquam accedet, vel nunquam redibit, vel raró admodum iterum redibit ad eos, qui cibos ſalutares ſemel vendiderint: quod ſatis eſt, ut miles ex cauſa pravæ victus rationis ægrotet in caſtris.

Utrumque acerrimè negabat ornatiſſimus & doctiſſimus vir, Joannes Baptiſta Capuccius, cujus non ſemel meminiſſe multùm conducere poteſt. Vtrumque falſum eſt, ajebat ille, dum-

dummodo non cum latronibus res agatur: dummodo munus hoc, & cura iſta non latroni, vel latronibus committatur, qui, fœdiores pediculis, maximè ſtudent militi ſanguinem ſugere. Vtrumque falſum eſſe, vir amœniſſimus & diſertiſſimus pluribus confirmabat. O genus hominum ſceleſtiſſimum, erant illius verba, cur non vili pretio cibi ſalutares vendi poſſunt in caſtris? Pro vili autem pretio ſic intelligendum putabat, & hanc ponebat normam: Si miles prudens, rerum, quæ ad ipſum pertinent, non ignarus, & propriæ ſalutis ſtudioſus ſibi ipſe cibos comparans, ſat commodè, beneque vivat, impendens decem exempli gratia; is, qui tantam ſcientiam non habet, ſuique curam iſtam negligit, pro ſimiliter bono, ſimiliter ſufficienti, ejusdemque qualitatis, & quantitatis cibo apud cauponem, certumve aliquem in caſtris hominem impendet undecim. Nam ſi caupo, vel certus alius homo, viginti tantùm militibus cibos ſic vendiderit (vendet autem centenis bene merentibus de illo) utique habebit decem pro ſui ſuſtentatione in illa die; & inſuper ad minimum alia decem ſuperlucrabitur in illa eadem die. Quod lucrum cauponis non eſt parvum reſpectivè ad militum lucrum, qui fortiſſima pectora bombardis objiciunt. Miles autem, addebat, non eſt cane imperitior, quem natura docuit redire ad eos, & blandiri illis, a quibus ſemel accepit beneficium; fugere autem ab iis, a quibus maleficium accipit. Cur, quæſo, non redibit miles ad illum, a quo bene paſtus eſt, & vili pretio paſtus eſt? Ac ſi

inſanus non redeat, ipſe ſuo damno & ſua culpa inexcuſabili non redibit, & ipſemet ſui carnifex ſemet ipſum puniet ſatis. Humiliter Principes rogatos volebat, ne iis credant, qui, propter omnium bonarum artium imperitiam, his modum & normam imponere impoſſibile rentur; vel ſaltem ſic fingunt, diſſimulantque, ſibi ipſis tantùm ſapientes.

Qui ſi fortè dicant, Joannem Baptiſtam Capuccium, etſi philoſophum peracutum, & medicum oculatiſſimum, tamen ſine rerum experientia de his, quæ non ſpectant ad medicum, fuiſſe locutum; poſſem profectò, ſermones referens hominis, ad ſecretiora & minutiora quædam rerum humanarum devenire, quibus ſine dubio de homine expertiſſimo omnes meliora tum ſentire, tum fateri cogerentnr. Referam autem, qua occaſione de his ille mecum fuerit locutus.

Fuit ille Romæ ante paucos annos, quàm Crotone moreretur, &, ſicuti mos erat viri doctiſſimi, omnia obſervabat, quæ gererentur in urbe, inque curia Romana, tum graviſſima, tùm leviſſima quæque. Non attingam graviora, nam non faciunt nunc ad rem præſentem. Inter cætera autem notavit, Ducem Pontificiæ cohortis Helvetiorum miniſtrum, ſive ſervum habere, vinum bonum & jentacula vendentem, & accurrere ad emendum tum milites Helveticos, tum etiam alios, iis maximè diebus, in quibus congregationes haberentur Dominorum Cardinalium, quorum ſervi inebriari ſolent, dum Domini de rebus gravioribus ſententias ferunt.

Res

Res publicè conſpiciebatur, dum inambularetur ad latus hortorum Pontificiorum in Quirinali, qua degunt Helvetii. Alii autem diſcumbentium, & bibentium de aliis atque aliis rebus, ut lubebat, confabulabantur: ſicuti facere ſolent illi, qui Venetiis Patavium, vel Patavio Venetias navicula vehuntur. Erant autem duo milites alterius cohortis, ut veſtis, & lingua, qua loquebantur, oſtendebat; qui de alio quodam Duce (neſcio re vera cujus gentis, nam ſuperba Roma omnes admittit) libero ore conquerebantur, quòd miniſtrum, ſive ſervum ſimiliter haberet, cibos tamen, & vinum peſſimæ notæ qui venderet, ut nullus omnino accederet eorum, qui milites ejus cohortis non eſſent; & ipſa cohors hoc ægrè ferret; & non niſi milites, qui erant in ea imprudentiores, & miſerabiliores, accederent. At Dux multa equidem callidè, & aſtutè interminabatur illis, qui ſuis cibis, & ſuo vino non uterentur; ſaltem minabatur, quòd aliqua de cauſa effeciſſet, ut ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino armorum Commiſſario expungerentur e militum numero. Sed me, alter ajebat, puer barbitonſor, qui eſt meus amicus, Illuſtriſſimo commendavit, & non ego profectò emam a Duce meo malos cibos, & peſſimum vinum, quodque gravius eſt, caro pretio. Neque ego, reſpondebat alter: ipſa inveniet aliquem, qui me commendet, ſoror mea. Tum uterque ſermone confirmabant, quòd ſingulis menſibus Dux accipiat a caupone miniſtro ſuo ducatos triginta Romanæ pecuniæ; & quòd neceſſum ſit, ſaltem alios

triginta ſingulis item menſibus cauponem ſuperlucrari, dixit unus; ſuperfurari potiùs, dixit alter. Ac quidem poſſent honeſtum aliquod lucrum facere, niſi eſſet hominum ignorantia, & rerum œconomicarum politicarumque imperitia. Non enim a primis venditoribus ipſi emunt, quæ poſtea commilitonibus venduntur; ſed a tertio, vel a quarto emunt venditore: ſcilicet ab iis, qui ab alio, atque ab alio emerunt, ut neceſſum poſtea ſit, cariſſimo vendantur commilitonibus, quæ Dux, & caupo caro emerunt. Cum autem dicerent, vix quadraginta milites iis cibis, vinoque uti (nam alii aliter ſe excuſabant, vel defendebant a Ducis iniquitate), facta ratione inveniebant, quòd eorum juliorum, quorum 35. ſingulis menſibus darentur militi a Pontifice, ſaltem quindecim unicuique illorum militum ſurriperentur. Hinc commilitones eos nominabant, qui ſemper languidi, & miſerabiles eſſent, quibus vel pileus, vel calceamenta deeſſent. Qui cum ſingulis Kalendis nobiſcum veniant *alla banca*, non quidem julium, non menſtrui ſtipendii obolum attingunt. Præſentes enim ibi, & adſtantes vultures Dux, & caupo inſtant pro ciborum, & vini ſolutione præteritorum dierum, trahuntque ad ſe militis ſtipendium.

Atque cum prætereuntes nos hæc audiviſſemus, ex uno in aliud, ut fit in ſermonibus tranſeuntibus, Capuccio occaſio data eſt eorum dicendi, quæ ſuperiùs relata ſunt; addiditque, vim habere maximam alienandi militum animos a Duce, ſeditionesque ſuſcitandi, aliquam ab

eo-

BOSTON MEDICAL DEC 4 1924

eodem in cibo & ſpotu pati injuriam: & e contra nihil æquè confirmare militum animos, quàm videre Ducem non raro ſollicitum circa ea, quæ pertinent ad eorum vim corporis, roburque conſervandum; quod fere ſemper milites interpretantur de cibo eorum, & potu debere Ducem eſſe ſollicitum. Laudavitque Julii Cæſaris providentiam, animique ſollicitudinem pro frumenti ſtatutis temporibus diſtributione, cum exercitus haberet vel in Galliis, vel in Hiſpaniis, vel in aliis mundi regionibus. Retulitque ex commentariis clari, ſtrenuique Gallorum Ducis *Monſieur du Monluc*, difficillimum omnino eſſe Ducem deſertum iri ab iis militibus, quibuscum in cibo & potu aliquoties fuit æqualis; quibuscum aliquoties potare & bibere conſueverit. Quod experimento quotidiano compertum eſt: facilè enim ubique gentium ad quodvis facinus conveniunt, qui ſimul bibunt, & ſimul edunt; & facilè etiam ad quodvis facinus impelluntur illi, quibuscum ederis & biberis; atque hi minimè omnium data pugnandi ocoaſione ſeſe deſerent ad invicem.

Verùm enimvero, quicquid ſit de his, illud mihi videtur ne dum poſſibile, ſed etiam facile, aliquem eſſe, qui pro multis in cohorte cibos præparet, & uſque adeo vili vendat pretio, ut quibusdam militibus melius ſit emere ſibi cibos jam præparatos, quàm eosdem propria induſtria præparare.

Cibi autem, qui a certo homine in cohorte parari poſſunt, ſunt omnes, quorum communis eſt uſus, præcipuè qui ex carnibus, & qui ex

frumentis, qui ex leguminibus, & qui ex herbis fiunt. Quibus quædam adduntur, ut vitium aliquod in ipſis corrigatur; & non tantùm nutriant, ſed etiam proſint arcendo morbos, & præſervando, atque ſanando hominem. Ciceribus exempli gratia utiliter quandoque additur allium, & roriſmarini coma una, vel altera; item & lenticulæ. Phaſeolis, & fabis utiliter ſuperadditur origani ſicci pulvis, vel piper orizæ contuſum; coctæ item utiliter ſuperadditur piperis pulvis. Ac ſi oryzæ decem libræ coquantur in jure carnium, vel in aquis adjecta aliqua pingui ſubſtantia, poterit cibus eſſe ſufficiens quinquaginta ad minimum militibus. Et non equidem deerunt cibi ſalutares, qui vili pretio vendi poſſint, modò res iſta non committatur uni ex illis, de quibus Capuccius locutus eſt. Demùm id omnino decentiſſimum, æquum, & neceſſarium videtur, Ducem metiri ſtipendia quotidiana cum ciborum caritate, vel vilitate; & id omni conatu ſtuduiſſe, ac præſtitiſſe, ut miles cum conſueto quotidiano ſtipendio bene, hoc eſt ſanè, & robuſtè vivere poſſit.

CAPUT VI.

De aquarum vitiis emendandis.

QVæſitum a nonnullis aliquando eſt, vino ne, an aquis carere gravius eſſet? Ac vulgi ſemper varii varia fuit ſententia, non quòd res dijudicatu difficilis ſit; ſed quoniam plerique adeo ſunt vino aſſueti, vinoque dediti, ut ſine

ſine vino minimè vivere poſſe exiſtiment. Re vera tamen, quantùm experienta huc uſque docuit, videtur aqua hominum generi magis utilis. Et ſine vino quidem olim vixerunt non pauci populi, & nunc quoque ſine vino pleræque gentes vivunt; cum ſine aquis vixiſſe populos, aut gentem aliquam vivere, niſi me mea fallit memoria, ſit inauditum. Ac præterquam ex variis herbarum, & fructuum ſuccis multæ fieri poſſint vini ſpecies; ſi aquas habuerimus, complures liquores parare etiam poſſumus in virtutibus vino ſimiles, ut eſt Germanis, & Anglis, aliisque populis cereviſia. At ſi deſtituamur aquis, quidnam, quæſo, ſimile hominum induſtria comparari poteſt? Deſtillatos fortè ab herbis, & fructibus proferemus liquores, quibus & hominum, & pecudum, & armentorum ſitis compeſcatur? nam horum omnium magnus jam eſt homini uſus. Res equidem eſt vel omnino impoſſibilis, vel quaſi impoſſibilis. Præſtat igitur vino potiùs deſtitui, quàm aquis: ſed ſi utrumque adſit, ſine dubio melius erit.

De vino autem, etſi quotidianus ſit, & ſalutaris plerorumque non abutentium potus, ex profeſſo in his non loquar, & vix de eo tanquam remedio aliquando quædam attingam. Neque verba faciam de admodum profectò utili cereviſiæ potu. De aquis verò fuſiùs pro re præſenti agere placet; quoniam, cum multa acceperim gravia fuiſſe in Hungaria exercitibus Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris Leopoldi I. in cauſarum enumeratione illorum morborum non infimum locum tenere aquæ vitioſæ perhibentur.

Dum autem ego his aliquando vacarem, non ſemel putavi, fortè aquarum copia factum fuiſſe in Hungaria, ut laudabiles aquas non habuerint exercitus: qui ſi nullas primo intuitu vidiſſent, fortè major ſedulitas hominum, quæ neceſſitatis in ingenio præditis ſolet eſſe filia, modum dediſſet aquas bonas reperiendi; non minus ac quamplurimis hiſtoriis memoratum eſt, frequenter milites in defectu aquarum puras, atque ſalubres, terram effodiendo, invenire fuiſſe ſolitos.

At etiam in caſtris puteos fuiſſe effoſſos accepimus, qui tamen malas dederint aquas. An quia malè conſtructi fuere? Retulit enim mihi inter ceteros Illuſtriſſimus Franciſcus Maria Petronius, vidiſſe puteos in caſtris, qui, dum noctu conquieviſſent aquæ, manè claras, & ſine ullo malæ qualitatis indicio aquas dederint. Accedente autem poſtea militum multitudine ad hauriendam aquam, conquaſſatis, & agitatis nimiùm lymphis, puteum dediſſe aquas turbidas, & fœtidas. Quod dubio procul videtur contigiſſe propter aquarum paucitatem, & cœnum in putei fundo; ſive, quod idem eſt, quoniam aquæ ſuperficies ſuprema putei fundo erat nimis vicina; ſive, quod item idem eſt, quoniam aquæ parùm altæ erant in puteo, cujus fundum erat cœnoſum, & irrequieto, validoque motu aquarum cœnum quoque in fundo revolutum, & agitatum aquis commiſcebatur. Et pluribus quidem formis aliquando uti ad exponendam animi mei ſententiam, operæ pretium fortaſſe eſt: nam rudes, & ineruditi ſunt erudiendi, qui faciliùs

ciliùs intelligunt id, quod ſub variis dicendi formis exponitur: doctis autem ſcio ſat ſuperque eſſe pauciſſimis verbis rem indicare.

Conſtat igitnr ex eo, quod ſupra dictum eſt, dari in Hungaria aquas ſalubres; & iis iisdem in caſtris, in quibus malis aquis milites uſi ſunt, non repugnante loci natura poſſe haberi bonas.

Ratione autem ſuperius expoſita, niſi tellus circumpoſita puteo, & quæ ejuſdem in fundo eſt, ſit omnino ſalubris, qualis vel ſamia, vel lemnia fertur, cujuscunque putei aquæ agitatæ nimis erunt inſalubres, & graves, & fœtidæ, vel amaræ etiam; quod pluries ſum expertus tum Neapoli, tum Romæ, tum Venetiis; & exiſtimo ſic accidere ubique locorum. Vidi enim non rarò puteos, e quibus hiemis tempore aquæ haurirentur optimæ, cum altitudo aquarum magna erat in puteo ſatis pleno: æſtatis verò tempore, deficiente nimia aquarum copia, ſive cum multo minor eſſet earundem in puteo minùs pleno altitudo, fuiſſe hauſtas peſſimas. Item vidi puteos, qui aquas darent bonas, ſi illæ placidæ ſatis haurirentur; fœtidas autem, & cœnoſas, & malè ſapidas, ſi magno ſcyphi motu fuiſſent agitatæ, & conturbatæ; & cum, quæ ſubſederat, fœculentia fuiſſet commota.

In puteis autem, qui non habent in fundo, & circum latera terram cœnoſam, id minimè contingit. Hujusmodi ſunt putei in aula ſereniſſimi Ducis Venetiarum æneo ore elegantes, qui ex coctis lateribus conſtructi ſunt; & cœ-

noſam terram non habent in fundo, quod ex puro, mundo, & nobili conſtat lapide. Et equidem ab his puteis vidi æſtate anni 1683. quæ fuit ſicca nimis, quandoque ad cochlearis ferè quantitatem aquam haurire cives, nam cum multi haurirent, putei citò ſiccabantur; & aliquando non dabatur tempus, quo aquæ guttulæ ſtillantes e parietibus in juſtam quantitatem colligerentur ad ſcyphum implendum. Attamen illa pauca aquarum quantitas erat ſalubris, & pura; quoniam nihil a duro lapide ſcyphi motu deraſum poterat aquis commiſceri, quo iſtæ redderentur impuræ & lutulentæ. Secus verò in quibusdam aliis puteis, qui non fuiſſent tanta diligentia conſtructi, agitato cœno, & iis, quæ ſubſederant, unà ſimul hæc commixta aquis hauriebantur: quæ proinde inſalubres erant, & fœtidæ, & diverſimodè amaræ pro varia ratione eorum, quæ ſubſederant; vel etiam in nonnullis puteis haud rectè circummunitis pro ratione ejus, quod plus, minusve ſalſarum proximarum aquarum admitteretur.

Eſt præterea alia ratio, non multum tamen diſſimilis priori, propter quam meliores aquæ hauriuntur e puteo, in quo illæ magis altæ ſunt: videlicet in quo ſuprema aquæ ſuperficis nimis diſtat ab oppoſita inferna ſuperficie. Enimvero & illud in aquis etiam veriſſimum eſt (etſi ſæpe numero non pateat ſenſibus), quod in aliis pleriſque liquoribus dilucidò conſtat, & clariſſimis confirmatur experimentis, non dari in corporibus particularum omnium exactam, omnimodamque ſimilitudinem: aliæ ſunt graviores, aliæ

aliæ leviores; aliæ in figuris, & in magnitudinibus diverſæ ab aliis. Ac cum contigerit, liquores notabilem occupare in vaſe aliquo altitudinem, meliùs, atque faciliùs fit particularum iſtarum ſecretio quædam, in unum convenientibus, quæ magis ſimiles & homogeneæ inter ſe ſunt. Id ſanè omnino manifeſtum eſt in olivarum oleo, cujus partes tenuiores, & puriores ſumma occupant vaſis, inferiora petentibus, quæ minùs puræ, & quæ minùs tenues ſunt. Omnium autem partium olei infima impuriſſima eſt, cui etiam peſſima pars olei ſubſidens amurca ſubeſt. Similiter, inquam, in aquis accidere meo judicio veriſſimum eſt; videlicet partium puriorum, & tenuiorum aquarum faciliùs, atque meliùs fieri ſeparationes, in unum convenientibus ſimilioribus, cum illæ notabilem occupant altitudinem loci; ſive cum ſuprema earum ſuperficies nimis diſtat ab infima.

Hinc etiam fit, quod in lacubus, inque paludibus meliores aquæ ſint in ea parte ſuperficiei, in qua lacus, & palus majorem habent profunditatem: quod utplurimum contingit circa medium ſive lacus, ſive paludis. Sed reſpectivè ad aquas prope latera lacus, vel paludis, vel etiam prope ripas fluminum, ſunt & aliæ rationes, quibus aquæ ſunt impuriores. Nam, ut non enumerem frequentiores occaſiones commovendi terras, & impuritates omnes, quæ ſunt prope ripas, agitandi, proxima tellus, quæ ferè ſemper magis minùsve cœnoſa eſt, excocta radiis ſolaribus, & alterata variis mutationibus ambientis aëris, ſemper etiam aliquid vitii impertit

aquis. Aquæ item juxta ripas utplurimum parùm, aut nihil altæ minùs defendunt ſubjectam terram ab iis mutationibus, quæ ab aëre diverſimodè agitato, & variis ſubſtantiis referto in terra fiunt. His, inquam, nominibus aquæ prope ripas, ſive fluminum, ſivè lacuum, ſive paludum, ſunt impuriores.

At illud utplurimum falſum eſt, aquas lacuſtres, ſive paluſtres nullum omnino habere motum, & proinde malas eſſe. Etenim præter motum quendam inteſtinum, de quo nihil hic dicam, ferè ſemper aquæ paludum & lacuum aliquem habent ſaltem occultum exitum; & non quicquam poteſt e palude, vel lacu egredi, niſi omnes aquæ ejusdem (ſaltem quæ emiſſario ſive occulto, ſive manifeſto ſunt altiores) ſucceſſivè moveantur. Quin & lacus, atque paludes utplurimum novas, atque novas aquas recipiunt. Inſuper in ciſternis plerisque aquæ nihil vitii ſuſcipiunt, etſi non videantur moveri.

Cum autem de puteis Venetiarum mentio ſemel facta fuerit, non abs re erit breviter recenſere, ut aquæ perpurgatæ in illorum capacitatem deſcendant. Putei iſti habent circum latera arenarum mundarum & purarum non exiguam quantitatem: & totam iſtam regionem ab arenis occupatam ſpongiam putei Veneti appellant. Arenæ autem, & tota arenarum regio circum circa loricam, ſive ab aquis ſalſis munimentum habet ex terra tenaci, quam cretæ tenuioris ſpeciem poſſumus dicere; & exſiccata pulveris vidètur aggregatio, & compactio quædam tenuiſſimi, ex qua veluti paries efformatur

matur circa arenas, omnem intercludens aditum ſalſis aquis. Canales autem ſic diſpoſiti ſunt, ut pluvia recipiatur inter arenas; vel cymbis e proximis fluminibus advectæ aquæ in regionem defluant arenarum. Ac poſtea aquæ iſtæ per cœcos meatus permeantes, & lateritios puteorum parietes pervadentes, pluribus hinc inde guttulis deſtillantibus, puræ, & limpidæ decurrunt in puteorum cavitatem. Quo artificio multa aquarum vitia emendantur, quorum non minimum eſt malus tum odor, tum ſapor picis. Siquidem pluries obſervavi Venetiis, hujusmodi aquas minoribus navigiis pice delibutis advectas trium, vel quatuor horarum ſpatio vim acquirere, qua tum nares, tum guſtatum ingrato picis odore, & ſapore feriant: cum poſtea iſtæ eædem numero aquæ per arenas, ut dixi, percolatæ nihil omnino picis referant. Quo ſolo argumento de aliis aquarum vitiis facta illatione credendum eſt, multum aquas emendari, dum per arenas tranſeunt.

Similis conſtructus Romæ puteus eſt in ampla, & magnifica domo Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Sacchetti, ſi bene nemini me audiviſſe a te, vel a fratre tuo amœniſſimo --- Illuſtriſſime, & Excellentiſſime Domine Marcelle Sachetti: habet enim circa concamerationem quandam ſaxis, ſive potiùs lapillis plenam; quibus, cum libet, Tiberinæ aquæ ſuperinfunduntur: hæ verò per lapillos meantes multas impuritates deponunt, & in putei poſtea amplitudinem penetrant.

Simili artificio plerumque utitur natura in aquis

aquis perpurgandis. Exempli gratia paulò infra collem Floridum in Marca Anconitana adeſt lacus ex pluviali, & ex ſolutis nivibus illius montis. Eſt quidem piſcoſus; aquas tamen habet maximè prope ripas graves, & inſalubres. Sed deſcendentibus nobis versus oppidum *Serravalle*, inveniuntur fontes aquarum puriſſimarum; & ſunt eædem illæ lacus, vel pluviarum, & ſolutarum nivium aquæ, quæ per viſcera montis tranſeuntes purgantur. Item Monachii, ubi populi Sereniſſimi Ducis Maximiliani virtute in ferreo ſeculo ætatem experiuntur auream, ſunt complures putei, in quibus aquæ magis, minùſque ſalutares; ſed omnes meo judicio ex minùs ſalubri Iſeris aqua ſaxoſam tellurem permeante replentur. Quin & hic Viennæ ſunt plures putei aquis repleti vel e Vienna fluvio (æſtate vix quidem rivulo) vel ex proximo Danubio per occultas vias diductis. At iſtarum aquarum Viennenſium aliæ meliores, aliæ pejores, & minùs ſalutares ſunt pro varia ratione putei pejùs, vel meliùs fabricati, & pro ratione varia telluris huic, vel illi puteo circumpoſitæ. Nam ſæpe ſæpius in non magna diſtantia terra differt a terra; & hac ipſa ratione aqua differt ab aqua. Hic etiam foſſæ in humiliori ſitu urbis, ut prope *Rothenzhor*, & prope *Stubenzhor* impuras nimis habent aquas muſcoſo virore infectas; cum non nimis longè remoti adſint intra mœnia ex illa parte foſſarum putei aquas habentes omnino ſalutares: ac mihi minimè dubitandum videtur, non aquas iſtas invicem per ſubterraneas vias communicare. At ſi omnium iſtorum pu-

puteorum multitudine trahentium aquas aquæ nimis agitentur, & conquaſſentur, turbabuntur ſine dubio, & erunt inſalubres.

Romæ item aqua felix impura, & limoſa eſt. Ac licèt in itinere adſint caſtella ad perpurgandam illam, nonnunquam tamen, maximè ſi pluviæ fuerint, turbida pervenit in urbem. Magna vis hujus aquæ diducitur in Quirinalem montem. Non ea tamen utuntur, niſi ad irrigandos hortos, in quibus grata etiam oculis ſpectacula exhibent ludentes aquæ.

Sed quam originem aſſeremus habere aquam in exiguo, perenni tamen fonte, qui eſt *nel cortiletto de' Capuccini Vecchi*, Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine Colendiſſime Andreas de Aquino Epiſcope Tricarienſis, iſtarum, ſimiliumque rerum curioſiſſime? Si tibi videatur, ego dicerem, hujus fontis aquam rivulum eſſe ex percolatis in Quirinali impuris aquis. Hujuſmodi autem fonte omnes ſine diſcrimine, & ſine incommodo utuntur.

Aquæ item, quæ Romæ etiam habentur omnium ſaluberrimæ in domo Illuſtriſſimi Marchionis de Grillo, ſunt aquæ caſtelli, quod in Quirinali habet felix aqua; vel potiùs ſunt aquæ illarum lacunarum, quas ex diſruptis canalibus fluentes aquæ efficiunt in terra cœnoſa prope murum in Quirinali hortorum Columnenſium; item ſunt aquæ aliorum occultorum ſtagnorum. Et hujuſmodi etiam naturæ eſt aqua in domo Sancti Dominici, & Xiſti, quam ego inhabitabam. Suntque in tota illa vicinia plures ſimiles putei optimarum aquarum; ex perpur-

gatis

gatis ſcilicet in collis viſceribus impuris aquis ex felici in Quirinalem diductis.

Et pluries alibi obſervavi, paulò infra impurum ſtagnum defluere rivulum puriorum aquarum; & erant aquæ illius ejuſdem ſtagni, aquæ per cœcos ductus meantes, & impuritates deponentes, poſtea terram iterum evadentes rivulum illum conſtituerent. Quandoque ſtagnum aquas habebat impuras ex diſſoluto ſapone (feminæ enim ſordes pannorum abluerant in ſtagno), cum rivus inferior aquas haberet puras.

Non ego nunc nimium morabor lectorem edifferens, pinguibus ſubſtantiis ſales pleroſque veluti mutare naturam, ut in ſapone manifeſtum eſt; & aquam ſalſam, in qua oleum abluitur, minùs ſalſam fieri; oleum autem craſſeſcere, & ad ſaponis naturam accedere. Neque nunc referam, quæ traduntur inventa fuiſſe in Anglia pro dulcibus aquis ex marina ſalſa ad nautarum uſum habendis: nam res non adhuc publici juris eſt, & nos non ſumus in ſummo mari, ut non niſi ſalſas habeamus. Atque ego libenter omitto, quæ non videntur poſſe habere facilem uſum in Hungariæ caſtris; quin imo frequenter rationes, & ſpeculationes pleraſque omitto, iis tantùm contentus, quæ facilè in praxin deduci poſſunt.

Ex quibus manifeſtum eſt, perquàm nimium poſſe in his induſtriam, & diligentiam hominum; adeo ut frequenter valeamus conſpicere in eodem agro, & in eadem vicinia, ex adhibita tantùm, vel ex non adhibita diligentia hominis;

alium

alium habere puteum puriſſimarum aquarum, alium verò impuriſſimarum; alium habere aquas ſalutares, alium omnino inſalubres.

Illorum autem hominum tum in his, tum in aliis quibuſcunque major eſt iuduſtria, atque diligentia, qui meliùs rerum naturam tum norunt imitari, tum etiam opere imitantur.

Quibus ſic expoſitis, ſi detur mihi fundus, nemus, rus, vel quid ſimile prope Danubium, vel alium fluvium, vel prope paludes aliquas, animus mihi iſt, ex impuris aquis fontes mihi parare aquarum puriorum. Item ſi detur mihi fundus cum puteo, cujus aquæ ſint cœnoſæ, & inſalubres, animus mihi eſt, ex his aquis puteum mihi facere aquarum ſalubriorum.

Sit ubicunque in Danubio cymba AB, ſatis firma, & nullas habens aquis rimas pervias: ſolent eas Germani concinnè nimis ex tabulis bonæ qualitatis, & ſine pice fabricare, quæ ne guttam quidem aquæ admittant. Atque eadem dividatur ſecundum longitudinem, tabulatorum interpoſitione, in plures partes, quas caſtella placet appellare; quoniam eundem, vel ſimilem præſtabunt uſum, quem in aquæ ductibus caſtella præſtant. Ut ſunt partes CBE, CK, FM, LO, NP, ST, & TAU.

Tabulata, ſive transverſa ſepta iſta duplicis debent eſſe generis. Alterum, quod prorſus non ſinat aquas, cum illæ aderunt in caſtellis, versùs puppim defluere, niſi per fiſtulam, vel fiſtulas G ſuperiori in parte hujus ſepti transverſi ſtatuendas. Cujus generis eſt ſeptum transverſum CDE undique præcludens vias in caſtel-

caſtellum CBE, niſi per fiſtulam, ſive fiſtulas G. Alterum genus ſepti transverſi hujuſmodi debet eſſe conſtitutionis, ut undique prohibeat aquas versùs puppim, niſi per rimam ſatis patentem & oblongam, quæ in fundi latitudine patet: videlicet tabulatum iſtud non debet pertingere prorſus uſque ad fundum cymbæ. Hujus generis eſt tabulatum, ſive ſeptum FHIK undique prohibens, ne aqua deferatur e prora in caſtellum CK, niſi per rimam oblongam HI.

Atque ſepta hujusmodi alternatim debent eſſe conſtituta. Primum debet eſſe I. generis CDE juxta puppim. Secundum debet eſſe II. generis FHIK. Tertium LM debet eſſe omnino I. generis habens ſimilem fiſtulam G. Quartum NO debet eſſe II. generis ſimile prorſus ſecundo FHIK, ſimilemque rimulam ſatis patentem habens in fundo HI. Sic omnia impari numero notata debent eſſe omnino ſimilia primo; & omnia pari numero notata debent eſſe ſimilia ſecundo; ita tamen ut proræ propinquius ſit ex imparibus primo ſimilibus; ut eſt hic ſeptimum fiſtulam, ſive fiſtulas habens G.

In prora inſuper debet aptari ferrea lamina XY foraminoſa. Et per foramina iſta aquæ Danubii admittendæ erunt in octavum caſtellum ATV.

Omnia autem caſtella ſupradicta, præter extrema bina CBE, & ATV, alterum in puppi, alterum in prora, replenda ſunt lapillis, & arenis mundis, purgatisque a ſordibus.

Item lamina ferrea cum ſuis foraminibus, & fiſtu-

ſiſtulæ omnes debent habere ſitum aliquantò humiliorem horizonte, quem deſignatum concipio a ſuperficie aquarum illius loci Danubii: videlicet debent conſtitui paullò infra ſuperficiem aquarum Danubii.

His ſic conſtitutis, dico, nos ex ſiſtulis G G, in primo caſtello C B E, juxta puppim habere binos fontes intra cymbam A B.

III. Dico, impoſſibile eſſe, aquas iſtas non eſſe multò puriores, & multò perfectiores, quàm ſint aquæ Danubii.

Quæ omnia ſic brevitur probantur.

Danubii aquæ ex conſtructione non admittuntur, niſi per foramina, quæ ſunt in lamina ferrea proræ in octavo caſtello infra ſuperficiem aquarum Danubii conſtituta. Atque ideo omnia ſupernatantia corpora, & omnia corpuſcula majora, & improportionata foraminibus laminæ, omnino remanebunt excluſa. Aquæ igitur in prora puriores erunt, quàm ſunt aquæ Danubii. At aquæ iſtæ minùs agitatæ in octavo caſtello, quàm priùs eſſent extra cymbam in Danubio, aliquid reliquarum impuritatum deponent in fundum hujus octavi caſtelli, & purior pars aſſurgens, perque ſiſtulam G ſeptimi tabulati, quæ etiam eſt infra libellam aquarum Danubii, deſcendet in ſeptimum caſtellum ST, cujus fundum dum petunt aquæ per ſaxa, & per arenas tranſeuntes, multum etiam deponent reliquarum impuriatum. Inde aquæ pervadentes rimam, quæ in fundo eſt ſexti ſepti tranſverſi, per ſaxa, & per arenas aſcendent item puriores, & replebunt capacitatem

ſexti caſtelli QR; pervenienteſque ad fiſtulam G quinti ſepti transverſi, qnæ etiam eſt infra libellam aquarum Danubii, deſcendent, & replebunt cavitatem PN quinti caſtelli, cujus aquæ omnium præcedentium aquarum erunt puriſſimæ. Iterum inquam, cum ſemper motus iſtarum aquarum placidè fiat per ſaxa, & per arenas, aquæ ſemper deponent impuritates, & puriores aſcendent per rimam HI in fundo quarti tabulati NOIH, repleturæ quartum caſtellum. Item & puriores deſcendent per fiſtulam G tertii tabulati, repleturæ tertium caſteilum. Et adhuc puriores pervadentes rimam HI ſecundi tabulati FKIH aſcendent; perque fiſtulas G & G in primo tabulato CE dabunt fontes in primo caſtello CBE puriſſimarum aquarum. Quod erat faciendum.

Res mihi videtur adeo certa, & adeo clara, ut injuria exiſtimem me afficere lectorem, ſi pluribus explicem. Verùm enimvero facilitas ipſa contemtum usque eo facit apud nonnullos, qui vani, ſtultique ſunt, ut ea tantùm magnifaciant extollantque, quæ minimè intelliguntur, & quæ ſæpenumero minimè intelligi poſſunt; ea verò ſtultiſſimè ſpernant, quæ facilitatem, & evidentiam habent. Sunt tamen & alii coquis, & mimis, & hiſtrionibus, & aſſentatoribus, ſuperſtitioſisque hominibus usque adeo obſeſſi, ut nihil boni ad eorum oculos pervenire, nihil recti ad eorum aures penetrare poſſit. Sed etiam ſunt non raro iniqui homines, quos in nulla poſſis ponere ſecta priorum, qui ſingunt contemnere bonas doctrinas,

ut

ut honeſtè magis poſſint malefacere doctioribus. Quos omnes ſtudiosè vitandos cenſeo, nunquam boni quicquam mihi ab eis ſperandum ducens.

Sunt autem quædam notanda, quæ nonnihil videntur conferre poſſe in aquarum emendatione; & quæ machinæ ſuperiùs expoſitæ utilitatem & commoditatem meliùs declarent.

I. Lapilli quò minutiores, eo meliores; & arenæ quò craſſiores, eo meliores ſunt. Sed in his non magna eſt utendum ſcrupuloſitate, dummodo lapilli & arenæ mundi purique ſint ab omni ſorde, & ab omni cœno.

II. Prope fiſtulas, & circa fiſtulas lapilli potiùs ſunt collocandi, quàm arenæ.

III. Expedit fiſtulas diſponere diagonaliter: nam longioribus itineribus aquæ pervenient ad primum caſtellum, e quo miles aquam ſibi accipit.

IV. Quo cymba erit capacior, & tabulata erunt plura, eo meliùs perficietur opus expurgationis aquarum.

I. Circa utilitatem verò & commoditatem hujus machinæ primò notandum eſt, quod ſi nullus ſibi accipiet aquam e fontibus G primi caſtelli (ut nocte accidit), aquis purioribus replebitur caſtellum CBE uſque ad libellam aquarum Danubii. Et tunc conquieſcent aquæ omnes in omnibus caſtellis, ac meliùs deponent, ſi quid deponendum eſt. Si quis verò accedat, & aquæ ſcyphum ſibi accipiat, movebuntur aquæ in omnibus caſtellis, fluentque per vias datas, donec illa quantitas aquæ detra-

ćta reponatur in primum caſtellum, e quo de-tracta fuit; & tunc iterum quieſcent omnes aquæ in cymba. Quæ tamen intelligenda ſunt, non mutata altitudine aquarum Danubii, ſi cymba non natet in Danubio: enimvero parùm alterata ejus conſtructione, poterit cymba natare in Danubio.

II. Siquis verò nolit primum caſtellum repleri aquis, ſufficit claudere fiſtulas primi ſepti transverſi: & tunc etiam quieſcent aquæ omnes in aliis caſtellis, depoſitioneſque meliùs celebrabuntur.

III. Bina caſtella quæque inter binas proximas fiſtulas poſita facilè expurgari & mundari poſſunt; & ſi quid deſit in ipſis, reſtitui, corrigi, & emendari poterit, nihil movendo in aliis caſtellis, videlicet ſi binæ illæ proximæ fiſtulę in tabulatis primi generis claudantur, & poſtea ſtatutum opus perficiatur.

IV. Machina tum facilè nimis fabricari poteſt, tum etiam aptari poteſt ubique locorum ad ripas Danubii, vel alterius fluminis; tum etiam levata cymba parte oneris ſaxorum, & arenarum, & aquarum, claudendo priùs foramina laminæ XY, ex una ſtatione poterit transferri in aliam quamcunque ſtationem. Sed & cymba poteſt fabricari, ut natet in flumine, & oporteat levare illam parte ulla oneris. Et foramina fieri poſſunt, quæ ducant in unum amplum foramen, quo occluſo, omnis ceſſet influxus aquarum.

V. Hoc eodem artificio purgari poſſunt aquæ lacuſtres, & paluſtres: conſtituta ſcilicet

cymba

cymba jam deſcripta ad latus aliquod ſive lacus, ſive paludis.

VI. Quin ubicunque effoſſa terra ad ulnam unam, vel alteram, aquæ reperiuntur ſi non bonæ, ſaltem non peſſimæ & inemendabiles, hoc artificio aquas bonas, & laudabiles habere poterimus. Conſtat enim ex ipſa conſtructione, aquas bonas itinere per caſtella cymbæ reddi optimas; quæ minus bonæ ſunt, reddi bonas; & quæ malæ ſunt, caſtellorum in cymba deſcripta beneficio multa vitia deponere, reddique minùs malas. Quod præſtandum ſuſcepi.

Nunc aliquid tecum etiam agendum habeo Illuſtriſſime & Excellentiſſime Comes Æneas Caprara, Magne campi Generalis *Mareſchalle*, non quia Romæ tuos cognoverim, Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum Alexandrum Caprara, quo rectore ego primùm cathedram obtinui, & juniorem Comitem Nicolaum Caprara, cujus prudentia & ſtrenuitate, cæteriſque virtutibus tum animi, tum corporis ex eodem illum eſſe genere, ex quo tu es, vir prudentiſſime, facilè dignoſcemus; Juvenem, ut pluries mihi domi Illuſtriſſimi Marchionis Philippi Nerli (quò multi nobiles tum viri, tum matronæ, innuptæque puellæ Romanæ ſæpe ſæpius conveniebant, & frequentes erant) obſervare licuit, omnibus carum, atque dilectum; cui illud fortuna adjecit, quod matronam, quam Charites virtutibus gratiiſque omnibus exornarunt, Illuſtriſſimam Marchioniſſam *de Cavalieri*, dum effrenatis equis, nullo rhedario, præcipiti & jam jam ruituro curru juxta Tiberis aquas vehere-

heretur, ſervandi occaſionem obtulerit. Non, inquam, de his ſimilibuſque agendum tecum nunc mihi eſt; etſi neque hoc eſſet indecens. Nam cum ſtrenuiſſimos erudiam milites, ut præſerventur a morbis in caſtris, brevibus digreſſionibus & varietate ſcripturæ ſunt illi aliquo modo ad legendum alliciendi, qui etiam, dum vident laudari præclara geſta virorum, virtuteſque animi, & corporis Illuſtriſſimarum mulierum, invitantur ad gloriam; & acriùs ad præclara facinora, & ad patriam defendendam incitari conſuevere. Verùm cum non minùs pictoribus, atque Poëtis, quibus

> *Quidlibet audendi, & fingendi eſt æqua poteſtas;*

mihi quoque, dum ea, quæ ſub Budæ mœnibus altis acciderunt, conſidero, facultas facta ſit puteum ibi a te conſtructum examinandi, habeo, quod moneam: quod ſi meo conſilio uti potuiſſes, meliores ſanè aquas habuiſſes. Atque hac eadem de re monendi ſunt Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Comes Erneſtus a *Starenberg* Generalis Magnus Campi *Mareſchallus*, & Sereniſſimus Ludovicus Princeps Badenſis, Generalis Magiſter equitum, aliique; qui, cum non ſemper commodum, neque ſemper tutum ſit aquas ex Danubio accipere, alios puteos ſub iiſdem mœnibus ſibi conſtrui curarunt.

Attendite quæſo ad ea, quæ dicam; & poſtea dijudicate, an rem ſim aſſecutus.

Primùm mente concipio puteum AB, in quo

quo ſcyphi C & D funiculo illigati, quibus E manus militis aquas hauriat, eſſe unum ex puteis veſtris, quorum aquæ non quidem fuerunt optimæ, ut omnes confirmant, ſed neque fuerunt peſſimæ; Dico, quod levi & facillima induſtria habuiſſetis aquas multò puriores & ſalubriores, quàm habueritis.

Sit dolium, ſive turris lignea FG, in qua diaphragma HILM dividat turris capacitatem, ſed non pertingat uſque ad fundum NG: videlicet cum omnes rimæ ſepti tranſverſi ſint exactè clauſæ, in fundo ſit aliquod ſpatium patens, quo communicent ad invicem binæ regiones turris. Ambæ regiones arenis & lapillis repleantur; ſed in alterutrius ſuprema parte fiſtula adaptetur OP, & regio iſta turris rectè cuſtodienda eſt: videlicet circuli portio HKI tabulis optimè cooperiatur, nequid impuri in hanc regionem decidat.

Si miles projiciat aquas ſcyphorum D & C in regionem NHI turris, per ſpatium patens in fundo pervadentes lapillos & arenas pervenient aquæ iſtæ ad fiſtulam OP.

Dico, quod fiſtula OP dabit nobis fontem aquarum puriorum & ſalubriorum, quàm ſint aquæ putei AB.

Enimvero impoſſibile eſt, quin aquæ deſcendentes ad fundum turris ex regione NHI non percolentur in arenis lapilliſque. Item impoſſible eſt, quin eædem aquæ, dum aſcendunt per CHI ad fiſtulam OP, non deponant corpora graviora, & minùs permeabilia per arenas & per lapillos. Igitur aquæ fontis P erunt puriores,

res & ſinceriores, quàm ſint aquæ putei AB: Quod faciendum erat.

Quòd ſi aquæ fontis P defluant in ſecundam turrim omnino ſimilem priori, ſimiliterque lapillis & arenis plenam, ſed in ſitu aliquantulum humiliori (niſi fortè tubo retorto utamur delineato in quarta figura), habebimus ex fiſtula Q ſecundæ turris puriores aquas, quàm ſint aquæ fiſtulæ P. Quod demonſtratur, ſicuti factum eſt de aquis fiſtulæ P reſpectivè ad aquas putei AB.

Sic ſi tertia, quarta, quintave, aut plures turres ſimiliter diſponantur, tandem in ultima turri B (in qua nullum diaphragma eſt, quamve non replebimus arenis lapilliſque, ſed tantùm efficiemus, nequid impuri decidat in eam), aquas habebimus omnium præcedentium puriſſimas e fiſtula R in penultima turri conſtituta proſilientes. Nam ultima turris nullum alium habet uſum, niſi conſervandi aquas jam purgatas in præcedentibus turribus.

Qua ratione purgari etiam poſſent aquæ cujuſcunque turbidi fluvii, vel etiam lacuum, & paludum: videlicet aptando turres prope fluvium, vel prope lacum.

Cum autem non ſit neceſſum perpetuò, & ſine ulla interruptione aquas infundere e puteo, vel fluvio, vel lacu in primam turrim, mora, in omnibus turribus ceſſante motu, meliùs fit depoſitio impuritatum; & poſtea novis infuſis aquis, ſaltem prima hora adhuc, puriores habebimus aquas e fiſtula penultimæ turris ſcaturientes.

His mihi videor liberaſſe fidem, & rem plenè

ab-

abſolviſſe, rationemque tradidiſſe, qua in Hungariæ, aliorumque locorum caſtris haberi poſſint aquæ puriores.

*Neque opus eſt hic repetere puteum ampliorem, profundioremque, in quo ſcilicet major ſit aquarum altitudo, meliores habere aquas, & conſequenter, quæ faciliùs emendentur; ut neque illud, quod dictum eſt de fiſtulis caſtellorum in cymba, circa fiſtulas turrium quoque debere ſtatui lapillos potiùs, quàm arenas, vel poſſe nos relinquere illud ſpatium arenis & lapillis vacuum: ut neque addendum eſt, quòd non ſit neceſſe dividere capacitatem turrium in regiones æquales; ſed ſi in regiones non æquales dividitur capacitas, mihi placet in regione, quæ dimidio capacitatis totius minor eſt, fiſtulam aptare. Hæc enim omnia & alia ſimilia vel patent, vel ex prædictis, deducuntur, vel minoris momenti ſunt.

Verùm dicet aliquis, quòd, cum hæc fieri debeant æſtate, aquæ ultimæ turris erunt calidæ, vel certò minùs frigidæ, quàm ſint aquæ putei; miles autem frigidis libentius utitur. Neque ſatis ſit reſpondere, poſſe militem accipere aquas jam puras, ut ſupra dictum eſt, & illas refrigerare in puteo, vel in aquis putei frigidioribus, ut fieri ſolet: nam hoc laborioſum nimis & negotii plenum opus eſt; cum miles velit aquas promtas & frigidas, quas poſſit bibere, nihil exſpectando, ut priùs refrigerentur.

Atque huic equidem, qui frigidam petit, aliquo pacto ſatisfaciendum cenſeo: quod fiet hac ratione.

Sit puteus oblongus; vel ſint bini putei proximi A & B, ut in tertia figura, brevi via CD inter ſe communicantes; vel ſit puteus fundi amplioris, in quo ſtatui poſſint quatuor, vel quinque turres ligneæ. Ego verò in ſequentibus loquar de duplici puteo A & B inter ſe brevi via communicantibus: atque unuſquiſque ſuo ingenio his iiſdem, ſimilibuſque in aliis caſibus pro ſitus occaſionumque ratione varia, diverſimodè uti poterit.

In via CD ſtatuenda ſunt dolia, ſive ligneæ turres tres, quatuorve, vel quotcunque ſimiles iis, quæ deſcriptæ ſunt in ſecunda figura; quæve ſimilia habeant ſepta tranſverſa. Similes, inquam, niſi quòd prima turris paullò infra ſupremam ſuperficiem aquarum putei debeat habere laminam foraminoſam ſimilem illi, quam adaptavimus in prora cymbæ ad ripas Danubii, & ſimili profectò ratione adaptatam, ut, occluſis omnibus rimis, tantùm per foramina laminæ aqua putei A admittatur in primam turrim. Foramina autem debent eſſe multa quidem, ſed exigua nimis, ut vix aliquid, præter aquas, admittatur. Prima autem turris communicare debet cum ſecunda per fiſtulam FK, ita ut nullæ aquæ admittantur in ſecundam turrim, niſi quæ veniunt per fiſtulam FK. Vel prima turris communicare debebit cum ſecunda per tubum retortum, ut in quarta, & meliùs in quinta figura, in qua beneficio tubi retorti XYZ aquæ e turri X tranſire poſſunt in turrim Z; & dubio procul tranſibunt, donec poſtea in ambabus

turri-

turribus aquæ eandem habeant altitudinem. Secunda turris communicare debet cum tertia, ut nullæ aquæ quàcunque admittantur in tertiam, niſi quæ deſcendunt per fiſtulam MN, vel per tubum retortum ſimilem tubo retorto quintæ figuræ. Sic de aliis quibuſcunque intermediis turribus dicendum eſſet, donec perveniatur ad ultimam turrim E, quæ non accipiet aquas ullas, niſi quæ per fiſtulam, qua cum penultima turri communicat, deducuntur; vel quæ per tubum retortum feruntur ſimilem tubo quintæ figuræ.

Omnes turres habebunt ſeptum tranſverſum, præter ultimam E, in qua ſeptum non haberet uſum.

Omnes replendæ erunt arena & lapillis, excepta ultima E.

Omnes cooperiri poterunt tabulis, excepta ultima E, cui ſuperſtat os Q putei B, cum ſcyphis S & R ad hauriendam aquam.

Omitto autem dicere, omnes ligneas turres ita collocandas eſſe intra aquas puteorum, ut pars quædam exſtet. Præcipuè pars quædam ultimæ turris E debebit exſtare, ne fortè aquæ circumpoſitæ influant in capacitatem hujus turris, quæ ſupernè patere debet ad hauriendam aquam. Reliquæ verò cum poſſint undique optimè & exactè claudi, ne quid aquarum, niſi per foraminula in prima turri, vel per fiſtulas in reliquis (ſi fiſtulis, non tubis retoris uti velimus) poſſent illæ omnino mergi aquis. Sed facilius eſt ita eas diſponere, ut pars exſtet. Exſtante enim

nim parte turrium, ſi quod fuerit in aliqua, vel pluribus ipſarum vitium, meliùs atque faciliùs emendabitur.

Quibus quidem manifeſtum eſt, aquas primæ turris puriores fore aquis putei A; aquas verò ſecundæ turris puriores forc aquis primæ turris; & tertiæ turris aquas puriores fore aquis ſecundæ turris; & ſic de reliquis dici oportere, ſi adſint. Ac conſequenter aquæ ultimæ turris E puriores erunt omnibus præcedentibus aquis.

Manifeſtum item eſt, omnes iſtas aquas fore æquè frigidas, ac ſunt aquæ putei A. Quod erat faciendum.

Cæterùm illud omnino in his contingit, quod in prima figura, cum de cymba ad ripas fluminis loquebamur, contingere dictum eſt: videlicet quòd aquæ ad eandem altitudinem ſe collocabunt tum in puteis, tum in turribus, & poſtea, cum omnes habebunt eandem altitudinem, quieſcent, & meliùs deponent, ſi quid habent impuritatum. Sed ſi ex puteo B, hoc eſt ex turri ultima E, aquæ auferantur magis, minùſve in quacunque quantitate, ſtatim movebuntur placido motu omnes aquæ in turribus, donec illa quantitas aquæ, quæ ſublata fuit, reſtituatur in turrim E, & iterum habeant aquæ in omnibus turribus eandem allitudinem. Quorum demonſtratio eſt ſanè facillima.

Ne autem alicui negotium faceſſeret illud aptare fiſtulas, etſi illæ mihi videantur non relicta rimula facillimè poſſe accommodari, innuere volui, eadem omnino nos conſequi poſſe, fiſtularum loco, tubis retortis ſimilibus illi, qui de-

ſcriptus

ſcriptus eſt in quarta figura; vel ſaltem aliis, qui tamen ſimiles præſtent effectus. Quo id nos efficere poſſumus, quod fiſtulis factum eſt in cymba primæ figuræ; videlicet ut aquæ ab uno caſtello tranſeant in aliud, ut ſupra expoſitum fuit. Item tubis retoris uti poſſemus in ſecunda figura ad faciendum, ut ab una turri aquæ tranſeant in aliam; & tunc non eſſet neceſſarium turres in humiliori, atque humiliori ſitu conſtituere. Sed placuit fiſtulis uti, ut delectarentur militum oculi fontis ſpecie: nec non humiliori ſitu ultimæ turris ſexta in ſecunda figura frequenter datur, ut illa commodè poſſit in terra ſui maxima parte ſepeliri, vel terra circumambiri: qua diligentia aquæ hujus turris frigidiores conſervantur.

In his autem omnibus naturam nos imitati ſumus, ſimili omnino ratione plerumque aquas emendantem; videlicet dum aquæ per occultas anguſtaſque vias ſubterraneas pluries deſcendunt, aſcenduntque, impuritates multas deponunt, ac puræ & ſalubriores tandem e fontibus ſcaturiunt.

Imitati ſumus etiam illorum artem, qui puteos Venetiis in aula Sereniſſimi Ducis, vel Romæ in domo Dominorum *Sacchetti* conſtruxerunt.

Imitati item ſumus pharmacopœorum diligentiam, qui præcipitationibus, & variis philtrationum generibus utuntur ad liquores pleroſque perpurgandos, vel puriores reddendos. Et notandum eſt, quòd poſtquam aliquis fuerit manica Hippocratis, charta emporetica, laciniis,

ciniis ſimilibuſque uſus in filtrationibus, tunc, inquam, cum pleræque partes ex iis, quibus liquor erat impurus, adhærentes meatibus filtrorum, nonnullos eorum occluſerunt, vel anguſtiores reddiderunt, tardiùs quidem deſtillare guttas, ſed eſſe puriores, & limpidiores. Quæ conſideratio aliquid etiam prodeſſe poteſt in nonnullis caſibus.

Poſſem alia addere de vinis perlatis, *vini colati* dicunt Romæ, audivique in Veneta ditione appellari *vini a ſacchetto*, quæ citò videntur maturitatem quandam acquirere, & citò ſat pura fiunt; ut muſtum a paucis diebus expreſſum hac ratione perpurgatum poſſit tutò bibi, & alicubi bibatur. Quæ tamen vina non multum habent ſpiritus. Sed non eſt æquum, tractatum iſtum creſcere in magnum volumen; & jam ſatis equidem ad militis uſum de vitiis aquarum emendandis dixiſſe videor.

CAPUT. VII.

De facili præparatione plerarumque aquarum.

Aquæ autem, etſi plerumque optimæ ſint, attamen largiùs potatæ nocere ſolent: ſicuti ſunt cuncta, quibus utimur; etiam ptiſana hordeacea, ut Galeni utar exemplo, qui ptiſanæ non opportuno uſu hominem vidit mortuum.

Eædem inſuper aquæ, quæ uno in loco proficuæ ſunt, vel non nocent; in alio loco vel nocent, vel non ſunt utiles: non mutata, inquam, aqua-

aquarum natura, quæ etiam aliquando, dum aquæ e loco in locum transferuntur, mutari poteſt.

Illud autem contingit, quoniam cætera omnia, quibus utimur, non ſunt ubique eadem; ac proinde cum aquæ non addantur ſimiliter corporibus, non erunt earundem ſimiles effectus. Quod univerſaliter de omnibus cauſis, quæ haud ſimiliter applicantur, Plato docuit in Theeteto, & naturæ lumine manifeſtum eſt.

Ac de his quidem Romæ ego ſum ſemper ſimiliter locutus, ac nunc ſcribo. Erant enim amici, qui, dum nimis laudarent aquas, quibus largiter Neapolitani utuntur, aquarum vitio tribuebant ægritudines, quibus ipſi Romæ affligebantur. Ego autem contra aſſerebam, adeſſe etiam Romæ aquas perfectiſſimas, quæ tamen tam largiter, tam populariter atque communiter potatæ Romæ, ac Neapoli fit aquarum *dello Formale*, ægritudines facerent. Quod ſi aquæ Romanæ bonæ qualitatis (ſunt enim ibi multæ) adveherentur Neapolim, poſſent iis uti Neapolitani æquè feliciter, ac propriis aquis utuntur. Et e contra Neapolitanæ aquæ, advectæ Romam largiterque uſurpatæ, ac Neapoli fit, æquè nocerent, ac Romanæ Romæ nocent. Enimvero Neapoli aër magis æthereus eſt, cum Romæ ſit craſſus, multum aquæ habens, & vaporoſus nimis. Quod manifeſtum eſt, tum quoniam, ſi e Tuſculano urbem aſpiciamus, ferè ſemper quocunque anni tempore, niſi fortè flent boreales venti, veluti per nebulas & nebulis ſuffuſam Romam videbimus; tum etiam quod Romæ tegmina

mina domorum facilè herbas nutriant, facilè tegminibus herbæ naſcantur, & facilè ſupra tegmina herbæ, & præcipuè ſempervivi vermicularis plantæ, creſcant. Quin etiam tegmina, quæ utrobique ex terra cocta conſtant, brevi Romæ maculas habent muſcoſas & virides: quæ quidem tam facilè & tanta frequentia non obſervantur Neapoli. Item citò nimis Romæ in pleriſque cellis vinariis ligna lentorem quendam, & piloſam, ſive, ut dicunt, arboreſcentem *Muffam* quandam contrahunt; & paleæ, quibus veſtes ſive loricæ fiunt vitreis vaſis, pro tutiùs condendis vinis, facilè corrumpuntur. Atque ex his iiſdem cauſis, quibus hæc contingunt Romæ, factum puto, ut largior aquarum potus ſit magis noxius Romæ, vel ſi placet aliter dicere, ſit minùs proficuus Romæ, quàm Neapoli.

Nunquam autem mihi placuit nonnullorum diligentia, qui aquas decoquunt, ut mala avertantur, quæ fiunt ab aqua. Qua ratione frequentiſſimè aquas bonas faciunt malas. Qui interrogati, gravioresne, an leviores aquæ ſint meliores? reſpondebunt, quòd cæteris paribus meliores ſint, quæ leviores ſunt. At aquarum ebullientium certo certiùs graviora remanent nobis in vaſe, quodque aſcendit in fumos, levius eſt. Cujus rei pluries periculum feci (etſi ratio ſit manifeſta) occaſione, quòd aliquando placuit Illuſtriſſimo Marchioni Philippo Nerlio aquas communes vitreo alembico deſtillare. Ex ſpecifica autem majori aquarum gravitate fit, quòd, ſi non coctæ impuritates aliquas depoſuiſſent, poſtmodum coctæ vel minimè illas deponant,

ponant, vel longiori tempore. Nam poſt coctionem vel nulla, vel ſanè minor eſt differentia ſpecificarum gravitatum eorum, quæ deponenda fuiſſent, & eorum, ex quibus depoſitio facienda eſt. Inſuper vina, quæ ego cognovi, leviora ſunt aquis; ut hoc etiam nomine aquæ aliis aquis ſpecie graviores magis remotæ ſint a vini natura.

Scio, nonnullos adducere poſſe præſtantiam nonnullarum decoctionum, quæ mirificè proſint pleriſque ægrotantibus. Verùm non ego loquor de iis, quæ ſub medicamenti ratione propinantur: nam ſic etiam hydrargyrum quandoque commodè datur ægrotantibus. Non loquor de iis potionibus, in quibus vires potiùs nonnullorum medicamentorum additorum conſiderandæ ſunt, quàm aquæ vires. Neque loquor de quibuſdam aquis decoctis quidem unà ſimul cum aliis, ſed antequam uſurpentur, fermentatis ſatis. Nam poſtquam per fermentationem aquæ iſtæ nonnihil depoſuerint, leviores fiunt, & ſpiritum concipiunt: ego enim exiſtimo, non adeſſe ſpiritum vini in muſto, ſed fermentatione muſtum vini ſpiritum concipere; quod non eſt hujus loci pluribus explicare. Quamobrem poſtea liquores iſti, qui prævia fermentatione ſalutares fiunt, aſſimilantur vel vino, vel cereviſiæ, vel ſimilibus potionibus, quæ ante fermentationem non ſunt utiles. Loquor autem de aquis brevi parabilibus, & nulla indigentibus fermentatione, quæ in uſu quotitidiano eſſe poſſint divitibus, & pauperibus. Cumque, præter laborem in decoquendo, ferè

ſemper coctæ, ut dictum eſt, pejores ſint crudis; ratio normaque aliqua excogitanda, atque tradenda eſt, qua, cum minùs convenit ſimplicis aquæ, etſi optimæ potus, miles potionem ſibi facilè comparet vel ſalutarem, vel minùs noxiam. Atque prius, quam hoc efficiam, advertendum eſt, quòd coctas dixerim pejores eſſe crudis, nequaquam propterea intelligens, quod actu calidiſſimarum aquarum, & immediatè poſtquam ferventes ab igne remotæ ſunt, non ſit plerunque utiliſſimus uſus. Nam ſi tantùm aquæ ſint calefaciendæ nimis, atque calidæ nimis multifariam uſurpandæ, utique ſcio, quod ultrò concedendum ſit, ſæpe ſæpius has aquas nimis calidas potatas vel non nocere, vel ſæpe ſæpius minùs nocere, quàm non excalefactæ noceant: ut fuſè innuiſſe mihi videor, cum de præſtantia aquæ ferventis ſupra locutus ſum. Et multum quidem intereſt, calida nimis ſumaturne eadem aqua, tepidane, an frigidiuſcula, an frigida nimis.

Aqua igitur, cujus uſus familiaris ſit militi, debet eſſe ſimplex; & dummodo pura ſit, & ſimplex, ac regio, vitaque hominis ferat aquæ potum, nulla hominum induſtria debet præparari.

Sed ſi regio, & cœli conſtitutio haud commodè ferant largiores aquæ potus, exiſtimo, quòd minor quantitas non noceat. Nam mihi perſuaſum eſt, modò aquæ bonæ ſint, utplurimum eas regiones, & eas cœli conſtitutiones minùs commodè ferre largiores aquæ potus, in quibus aër multum aquæ permixtum habeat; ut proinde

proinde corpora vel ab aëre accipiant, quod ipſis neceſſarium eſt aquoſitatis, vel minus in ipſis reſpectivè ad aliam regionem, & ad aliam cœli conſtitutionem, abſumatur aquoſitatis: unde, ſi minus in hujuſmodi aëre homines aquarum accipiant, videantur debere meliùs habere. Fortè aptè confirmantur hæc obſervatione vulgari, quòd flantibus ventis aquoſis minùs ſitiant homines; aëre ſcilicet vel communicante aquoſitatem corporibus, vel minùs reſolvente aquoſitates corporum; e contra verò flantibus ventis ſiccis, ut ſunt pleriſque in locis Italiæ venti boreales, magis atque magis ſitiant homines, vel quia plus humiditatis reſolvitur e corporibus, auriſque permiſcetur, vel quia minus aquoſitatis ex aëre ſicciori adjicitur iiſdem corporibus hominum, vel propter utrumque.

Verùm haud poteſt miles menſuras, & pondera hæc ſemper habere præ manibus, ut aëris cognoſcat conſtitutionem, magiſne, an minùs aquoſus ſit. Is aſſuetus bibere vult bibere quocunque in aëre. Quod plerique, etiamſi milites non ſint, facere conſueverunt; qui non quia ſitiunt, bibunt, ſed quia bibere ſunt aſſueti.

Ego etſi non laudem exceſſum ullum, attamen dico, convenire magis in hoc caſu potiones, quæ plus ſpirituum & partium efficaciorum plus habent: cujuſmodi ſunt vinum, cereviſia, aqua mulſa, quæ rectè parata pro vino ſufficere poteſt; aliaque hujus generis. Verùm hæc conveniunt quidem militi, ſed non is poteſt hæc eadem ſibi præparare; & ego pollicitus ſum methodum & artem potiones ſalutares conficiendi.

In his autem non eſt ubique eadem ratio: nam non omnis fert omnia tellus; & quædam vili pretio venduntur in uno loco, quæ caro nimis venduntur in alio, ut non poſſit iis uti multitudo. Exempli gratia anno 1683. Venetiis libra una paſſularum minorum acinorum corinthiacarum vendebatur ſolido, quorum *ein Droſchen* Germanicum habet quinque. At quinque libris Venetis hujuſmodi paſſularum fieri poſſunt triginta menſuræ germanicæ aquæ ſalutaris, quæ nutriat ſatis, & reficiat hominem, & ſitim extinguat, & leniat pectus, ac multa alia præſtet beneficia. Fit autem facilè, ſi, contuſis optimè paſſulis, unicuique libræ ſex menſuræ ſuperinfundantur ferventis aquæ, & omnia probè pluries agitentur; & poſtea in fundum vaſis graviores partes paſſularum ſubſidere ſinantur. Similiter fieri poteſt cum alterius generis paſſulis, quæ ſemina habent, vi quæ dicantur pollere adversùs dyſenteriam; ut ex una eademque re plura remedia accipere valeamus.

Non ulli tunc temporis Veneti bellum inferebant: ego autem exiſtimavi, quòd in claſſibus magni uſus eſſe poſſint paſſulæ iſtæ: & fortaſſis nunc iis utuntur: Veneti enim ſunt accurati nimis, & diligentes.

Sic ex jujubis, ficubus, prunis, & aliis pleriſque, prout regio unum vel aliud copioſiùs fert, aquæ fieri poſſunt.

Pomorum etiam ſunt varia genera, quæ contuſa, & permixta aquis ferventibus ſpatio unius, vel alterius diei poſſunt dare aquas non ingratas, & utiles in quamplurimis morbis.

At

At ſi nullius ex his in Hungaria ſit copia, certè panis, ſive triticeus, ſive hordeaceus, vel avenaceus, aut alterius generis ex ſe non inſalubris, non debebit deeſſe. Ex pane autem, ubi regio vel cœli conſtitutio haud commodè ferat ſimplicis aquæ potum, aquæ parari poſſunt, quæ vel omnino non noceant, vel minùs noceant. Quod fit, ſi tenues panis offæ ſatis atque ſatis probè aſſentur, & exinde aquis infundantur. Fit enim ex hoc pane non levis extractio particularum, quæ aquis permiſcentur: ut conſtat ex coloris magna mutatione in aquis, ex ſapore earundem, & ex viribus. Similes enim in virtutibus ſunt aquæ iſtæ aquis, quæ ex decocto hordeo pleriſque ægrotantibus a medicis præſcribuntur; vel potiùs valent pro cereviſia aliqua minùs efficaci, vel pro dilutiſſimo vino.

Neque video, quid adversùs hanc de aqua panis perquam optimè aſſi ſententiam meam ab alio quocunque conſtanter dici poſſit, niſi quod jam vulgaris illa ſit, a Johanne Schrödero notata, & tum in Italia, tum in Germania, ubi non deſunt optimæ aquæ, paſſim uſurpata tanquam melior, & conducibilior quamplurimis ægrotis, quàm ſit ſimplex aqua. Sed ego inquam, quod propter has ipſas omnino rationes monendi milites ſint, ut frequenter aqua panis aſſi utantur, quoniam vulgaris jam illa eſt, & a Schrödero notata, & tum in Italia, tum in Germania paſſim uſurpata tanquam ſanior & conducibilior quamplurimis ægrotantibus, quàm ſit ſimplex aqua, etſi alias ſalutaris. Non enim ea

tantùm bona ſunt, quæ nobis afferuntur ex Indiis, & quæ caro veniunt, & quæ novitatem aliquam ſapiunt. Sunt domi, & quæ pro viliſſimo pretio habere poſſunt, & quæ jam ſint gentium in uſu, quibus homo corpori ſatisfaciat ſuo, & propriæ conſulat ſaluti.

Sufficit autem uncia una panis optimè aſſi ad habendam menſuram unam aquæ hujuſmodi. Sed expedit, panem in tenues offas incidere, & poſtea diligenter illum aſſare. Nam craſſior offa haud facilè ſecundùm omnes interiores ſui partes aſſari poteſt; & quandoque tam malè confectus panis eſt, ut priùs comburatur extrinſecùs, quàm internè exſiccetur probè & aſſetur. Tunc bonus eſt panis, cum quaſi videtur combuſtus.

Atque his quidem, quæ hactenus dicta ſunt, mihi videor, omiſſa coctione, methodum me jam tradidiſſe facilem conficiendi per ſimplicem infuſionem ſexcentas aquas ſalutares.

Pro his autem ea exiſtimo ſemper vitanda eſſe, quæ coctione ſimul indigent, & fermentatione, vel ſaltem alterutra: ut eſt hordeum, triticum, & multa alia hujus generis. Nam ſi quis per ſimplicem infuſionem aquam hordei conficeret, aquam haberet nimis inſalubrem. Item ex infuſo tritico aqua eſt inſalubris. Eligenda, inquam, ſunt ea, quæ, ſalutaria ut ſint homini, non ulla indigent magna præparatione, neque coctura indigent, aut longiori fermentatione: cujuſmodi ſunt folia plerarunque herbarum ſiccarum, ſemina anethi, aniſorum, fœniculi, coriandrorum, flavi cortices citri, vel aurantiorum,

rum, & alia quamplurima. Neque his ſimilibuſque ſine diſcrimine miles uti debet. Sed prout unuſquiſque priùs doctus eſt ex iis, quæ alias obſervavit in ſemetipſo, vel prout conſilio fidit alicujus periti medici, aliquo, quod ſibi magis conveniat, uti poteſt. Alius, cui ſtomachus eſt languidior & tardior in ſuis functiobus, vel cui alvus eſt laxior & crudior, accipiet coriandri optimè ſicca priùs ſemina eaque infundet in aquis, atque ſimul hæc omnia aliquando agitabit: nam brevi habebit aquam coriandri. Sufficit autem uncia una pro tribus vel quatuor aquæ menſuris, quarum quælibet ſit unius circiter libræ.

Alius, cui tuſſis moleſta eſt, & reſpiratio ex phlegmate copioſiori difficilior, vel cui urina mordacior eſt, accipiat glycyrrhizæ radicem priùs ſiccam, quam gladio incidet, vel potiùs malleo contundet, cui poſtea ſuperaffundet aquam puram; & haud ſanè longi temporius lapſu, maximè ſi bene contuſa fuerit radix, ex odore, ſapore, colore, aliiſque dignoſcet, extractionem factam fuiſſe multarum partium glycyrrhizæ, ac proinde aquam eſſe jam in illis morbis utilem.

Alius, cui ventriculus imbecillis & nauſeabundus, & venter a flatibus turgidior eſt, cui venter dolet, quive ſibi timet ab imminenti dyſenteria, vel diarrhœa, accipiet menthæ criſpæ jam priùs ſiccæ multas comas ad unc. ſem. exempli gratia, quas infundet in aquæ menſuras tres; & brevi ex colore, ſapore, & odore dignoſcet, ſe habere aquam efficacem ad eos morbos,

 in

in quibus mentha laudatur; atque periculo facto non eum pœnitebit laboris.

Similiter dicere poſſum de aqua per infuſionem meliſſæ, pimpinellæ, hyſſopi, aliorumque ſimilium, quibus ſine ſumtu non leve auxilium in morbis pleriſque miles habere poteſt. Ac omnino ſimiliter dicere poſſem de ſcobe ligni lentiſci, vel fraxini, vel cortice quercus, vel de taleolis radicum enulæ campanæ, aut radicum angelicæ, vel radicum ſcorzoneræ: nam ex omnibus his ſimilibuſque per ſimplicem infuſionem aquæ fieri poſſunt, quæ vel ad præcavendos, vel ad profligandos morbos ſint nimis efficaces.

Opus ſanè creſceret nimis, ſi de ſingularibus omnibus dicendum eſſet; ac quidem ſatis eſt, univerſalem methodum tradidiſſe conficiendi aquas per ſimplicem infuſionem, & non pauca exempla addidiſſe: unuſquiſque enim exemplo eorum, quæ dicta ſunt, multas alias aquas invenire poterit. Placet tamen nonnulla dicere de aqua ferri, & rubiginis ferri, & de aqua pini: ſed priùs quædam adnotabo, quibus tum faciliùs conficiantur, tum efficaciores ſint aquæ iſtæ.

I. Si ea, ex quibus aquas parare volumus (ruta capraria exempli gratia, centinodium, vel graminis radix) infundantur in aquis calidis, & pluries agitentur, ſinanturque in loco calido, tum breviori tempore, tum efficaciores habebimus aquas.

II. Ea, quæ infundenda ſunt, ferè ſemper meliora ſunt jam ſicca priùs in umbris, & ab aliquo tempore collecta ab agris: nam ſic maturi-

turitatem & perfectionem quandam acquirunt, & plus partium efficaciorum tribuunt aquæ. Cujus rei non obſcura ratio eſt, quam omitto; atque compluribus hoc idem confirmatur experimentis. Oleæ exempli gratia minùs dant olei, ſi de recenti collectæ e ſacra Minervæ arbore contundantur, & prelo ſubmittantur: contra aliquot diebus paſſæ ſi fuerint, multum dant olei. Sic e recentibus amygdalis, ſem. cucurbitæ, nucleis pineis, ſimilibuſque, vix àliquid olei exprimes. Atqne norunt diligentiores, & peritiores pharmacopœi, e recentibus foliis roriſmarini, menthæ, pulegii, abſinthii, ſimiliumque, minus quintæ eſſentiæ ipſos colligere poſſe, quàm ſi illa eadem ſimplicia collecta priùs, atque ſicca, & aliquo tempore in loco puro ſervata, paſſaque, ut ſic dicam, fuerint.

III. Cum autem nonnulla ex iis, quæ infundenda ſunt, debeant priùs contundi, vel ſecari, & in taleolas incidi, præſtat non ea longo tempore ante conciſa & contuſa habere; ſed tunc contundere, & in fruſta, aut taleolas concidere, cum infundenda jam ſunt. Nam plerorunque multo tempore ante contuſorum, & in minutiora fruſta conciſorum virtus evaneſcit, ut ignaviores, nulliuſque roboris tantùm particulæ remaneant; iis abeuntibus, quæ aquis permixtæ proficuas in morbis, vel ad tutandam ſanitatem efficaciores illas reddidiſſent. Quod illi omnes facilè admittent, qui obſervarunt, quanta differentia ſit inter cinnamomum de recenti contuſum, & cinnamomum mul-

to tempore ante in pulverem comminutum. At fructus quidam, ut mala dulcia, & acida, non quidem ſicca, ſed matura, & ab aliquo tempore priùs collecta ab arboribus, meliores dant aquas; tum vinum etiam eadem præbere poſſunt.

Aqua autem ferri, vel rubiginis ejuſdem, fieri poteſt ex limaturæ, vel rubiginis ferri, aut utrorumque, infuſione in aquis, ut de aliis dictum eſt. Quæ tamen aliquanto longiori tempore indigere videtur: breviùs autem conficitur, cum calida fuerit aqua &, in loco calido ſervatis omnibus, pluries, atque pluries ſimul agitentur, ac cum minutior fuerit limatura, vel ſi rubigo priùs in pulverem minutiſſimum fuerit redacta.

De ferro, & rubigine notandum eſt, quod pleraque vitia aquarum ipſis corrigantur; videlicet ſi partes aliquæ acriores, & acidiores aquis ſint permixtæ, infuſione ferri, vel rubiginis ejuſdem, vel clavorum vetuſtorum & rubiginoſorum infuſione, acrimonia illa, & aquæ aciditas deperit, ut ſic dicam; ſitque aqua medicamentoſa.

Atque illos hic audire nolo, qui aquas, maximè priùs acidas, ferroque poſtmodum nimis ſaturatas nocere potiùs, quàm juvare, dicere poſſunt. Nam non ego loquor de aquis, quæ tantum ferri extractum habent; loquor de ſimplicibus aquis, quæ per limaturæ ferri infuſionem medicamentoſæ fieri poſſunt.

Scio autem, in exercitibus potentiſſimi Romanorum Imperatoris Leopoldi I. pleroſque laboraſſe iis morbis, in quibus magnum auxilium afferre

afferre poteſt aqua ferri, vel rubiginis. Hujuſmodi ſunt diarrhœa, & dyſenteria, & ventriculi imbecillitas, vitioſaque alimenti digeſtio, & diſtributio, ex quibus non pauci morbi ortum ducere poſſunt.

At limatura ferri vel gratis, vel vili pretio habetur apud eos ferrarios, qui æs, & plumbum, & ſtannum non attingunt, ſed lima ferramenta tantùm perficiunt. Quin rubigo, & ferrum vetuſtum ac rubiginoſum, tum in armamentariis Principum, tum pluribus aliis in locis, facilè inveniri poteſt. Et advertendum eſt, eandem omnino ferri limaturam, eandemque rubiginem pro pluribus, atque pluribus infuſionibus longo tempore ſufficere.

Ceterùm facilè excogitari poteſt ratio, qua multitudinis in uſum hujuſmodi aqua in magna copia, & facili negotio paretur. Videlicet ſi dolium habeamus circa axem volubile, ut in ſexta figura: conſtitutis enim in ejus capacitate aqua, & ferri limatura, ſive rubigine, circumrotando facilè & brevi non exigua aquæ copia parari poteſt, iis diſtribuenda, qui eadem indigere videbuntur. Verùm ſi non hæc aqua paretur in publicos uſus, unuſquiſque pro ſe cum quatuor, vel quinque unciis limaturæ ferri in vaſe aliquo vitreo, vel ex terra, vitreato tamen, brevi tempore ſibi ſuiſque poterit aquam præparare.

Simili modo per ſimplicem infuſionem habere poſſumus aquam pini, infundendo ſcilicet contuſas pineas nuces ſiccas jam, & non de recenti ab arbore reciſas. Eligendæ autem ſunt nu-

nuces pineæ pinguiores, & quæ reſina ſunt magis gravidæ. Non eſt enim omnis pinus æquè reſinoſa, neque ejuſdem nuces æquè reſinoſæ ſunt; quin ejuſdem pini pars alia ligni, & corticis eſt nimis reſinoſa, cum pars alia parùm habeat reſinæ: videtur morbus quidam pini, vel morbus alicujus partis in eadem pino, magna reſinæ copia. Ego hic Viennæ pluries aquam mihi paravi per infuſionem contuſarum aſſularum pini reſinoſæ (tædas latina voce alicubi nuncupant) ac brevi tempore habui aquam, quæ reſinam pini ſaperet. Aqua iſta urinam movet, & ſalivam, & lympham facit liquidiorem. At ferè in omnibus morbis Hungaricis caſtrenſibus ſaliva eſt craſſior, & corporis univerſa lympha minùs liquida eſt, ut conjicere licet ex linguæ colore, & aſperitate, & ex ſiti ægrotantium. Aqua item pini promovet leniter corporis tranſpirationem, qua nullam meliorem viam habet natura ad ſe redimendam a morborum caſtrenſium inſultibus.

Aqua pini in memoriam revocat Piſanas aquas celebres nimis in tota Hetruria, ubi habentur ſaluberrimæ. Aſſerebat autem doctiſſimus vir Joannes Alphonſus Borellius, qui magnum ſui mihi & amicis omnibus deſiderium reliquit, Piſanas aquas virtutes accipere a pinorum radicibus, a quibus aliquid abſtrahunt; longiſſimo enim itinere per pineta decurrere aquas iſtas, ajebat, antequam perveniant ad locum, e quo ſumuntur. Ac vir præſtantiſſimus ſapore, colore, & odore mihi deſcribebat illas aquas, qualem ego video eſſe aquam, cui tædarum

rum aſſulæ contuſæ infuſæ fuere. Quicquid autem ſit de hac amiciſſimi & doctiſſimi viri conjectura, illud minimè negandum eſt, pini aquam eſſe nimis efficacem ad pleroſque morbos arcendos: quod item de laricis, aliarumque arborum reſinas ferentium, aquis ſimiliter eſt affirmandum.

Sed, ut ſunt quandoque milites moroſi, fortaſſis aliquis eorum conqueritur, quod nihil pretioſi hucuſque præſcripſerim; non aquam ex infuſo ligno aloë, vel ex pulvere margaritarum, vel lapidum pretioſorum, adversùs malignitates efficacem. Cujus quidem excuſare debeo ſimplcitatem; quoniam ignorat ferri, vel pini aquam, vel aquam menthæ, aut meliſſæ, efficaciorem eſſe aqua ex infuſo ligno aloë. Ac ſi medicorum ſcripta revolvantur, plures ſanè, atque plures reperiemus ſolo ferro curatos, quàm ligno aloë, vel margaritis. Neque profectò meliores ſunt aquæ, quibus adduntur pulveres margaritarum, quàm ſunt aquæ, quibus adduntur pulveres ex combuſto cornu cervi, vel ex contuſa teſta cancrorum fluviatilium, vel ex lapillis, quos oculos appellant cancrorum fluviatilium, quorum magna copia militi eſſe poteſt.

Verùm enimvero non ego proinde dico, ſpernenda omnino eſſe exotica, & rara, & pretioſa medicamenta. Dico tamen, quod miles, modò rectè utatur, contentus eſſe debeat domeſticis, quæ ſine ſumtu haberi poſſunt, & ſunt quoque magnarum virium. Neque tamen magno veneunt pretio quædam externa, ſi iis uti

uti velimus. Exempli gratia aqua ſantali citrini, vel rubri, per infuſionem vili pretio haberi poteſt: etenim tam exigua quantitas ſcobis ſive limaturæ ſantali ſatis eſt ad inficiendas tres quatuorve menſuras aquæ; ut vilior ſit aqua ſantali citrini, quàm aqua cichorii deſtillata: quæ reſpectivè ad virtutes aquæ ſantali in curandis febribus caſtrenſibus nullius eſt roboris. Item fruſtulum ligni ſaſſafras, quod veneat paucis cruciferis, ſatis eſt ad inficiendas multas menſuras aquæ. Similiter de aliis multis dicendum eſt.

Demum prius, quam ad ea tranſeam, quæ ſpectant ad aërem, monendus iterum miles eſt, in plerîſque eorum caſuum, in quibus minimè conducit aqua pura, & ſincera, optimæque notæ, veluti dictum, eam non conducere ſtatim poſt immodica corporis exercitia, & cum miles adhuc humores habet ferventes, & agitatos ex curſu, itinere, vel alio quovis labore, non modicum auxilium afferre guttas aliquot ſpiritus vini aquis additas; vel aquæ vitæ ex cereviſia elicitæ aliquid puris aquis addidiſſe. Item cum ſaliva minùs liquida eſt, & minimè ab aquæ potu poteſt miles ſe continere, expedit guttas aliquot ſpiritus vini aquis puris miſcere: item ſi quæ fuerint in viſceribus obſtructionum, & cruditatum, & hydropis indicia, & in multis aliis caſibus.

Ac velim equidem de his, quæ hic ultimo loco addidi, unumquemque eſſe ſollicitum, atque curioſum. Beneficia enim illarum paucarum guttarum ſpiritus vini, vel aquæ vitæ ex cereviſia, non ſunt exigua.

PARS

PARS TERTIA.

De ratione præſervandi milites ab iis malis, quæ imminent ab aëre.

COmmunis ferè omnium opinio eſt, morbos caſtrenſes graviores eſſe in Hungaria propter majorem aëris, & aquarum in aliquibus regionibus illius Regni inſalubritatem. At ego, licèt in his multum tribuam aquis, de quibus jam pro re præſenti luculenter mihi egiſſe videor, multò magis tamen aëri concedendum exiſtimo. Quin etiam affirmo id, quod complures ipſa docuit experientia, aquas bonas in Hungaria, propter aëris conſtitutionem minùs ferentis frigidæ aquæ potum, niſi quid medicamentoſum admixtum habeant, largiter potatas nocere militi. Conſtitutioni autem aëris addere poſſumus mutatam in reliquis vivendi militum rationem, quo efficitur, ut vel minùs proficuæ ſint aquæ, vel etiam noceant. In hac tertia parte de aëre dicendum inſtitui. Faxit Deus, ut votis opus reſpondeat, reſpondeant & eventus. Quodſi impar fuero conatibus, illud certè præſtitiſſe videri cunctis debebo, occaſionem aliis me dediſſe, meliora cogitandi, & meliora ſcribendi. Facilitatis autem gratia, & ne inu-

inutilioribus mens, & patientia militis gravetur, omittam diſceptationes, & inutiles quaſdam philoſophorum quæſtiones, quibus ferè ſemper res fit difficilior, & abſtruſa magis. Ea potiſſimùm adducam, quæ ex re magis eſſe videbuntur. Quædam tamen de natuaa aëris ſupponenda in eorum militum gratiam enumerabo, qui magis ingenio pollent, & otio abundant, ad hoc ut, ſi velint illi contemplatione eorum, quæ ſupponimus, proprio marte rationes valeant invenire tum eorum, quæ expoſuero, tum aliorum, quæ de aëris ſive beneficio, ſive maleficio, dici queunt. Poſtea rem univerſam, quam mihi agendam propoſui, hac ratione dividendam cogito, ut aër diurnus, præcipuè æſtatis tempore, ſolis radiis, maximè directis, non tantùm reflexis, illuſtratus in uno capite conſideretur, in quo etiam aliquid de nocturno aëre dicam. In utroque autem aëre conſiderandæ ſunt repentinæ mutationes ex uno in alium ſtatum. Item & nebuloſus, & rorifer, aër conſiderandus erit; & is, qui eſt in foveis, cuniculiſque ſubterraneis; & is, qui eſt in aliis locis, in quibus terra de recenti commota eſt; & is, qui eſt prope paludes, & prope cœnum, conſiderandus etiam eſt. Cum autem maleficus aër noceat magis dormienti militi, quàm vigilanti, peculiari capite agendum puto de iis, quæ proficua ſunt militi dormituro. Poſtea addam nonnulla, quæ experrecto magis conveniant. Demum ad aërem quoque referam damna, quæ inferunt cadavera, & quæcunque alia immunda corpora: videlicet halitibus aërem inquinant, & ſic aliquo

quo pacto nocent; vel ſaltem fœtore, & inſectorum multitudine ex illis genitorum moleſta etiam ſunt.

CAPUT I.

In quo circa aëris naturam quædam ſupponenda traduntur.

NOn equidem, quia dico, me quædam ſine demonſtratione velle ſupponere de aëris natura, minùs certa illa ſunt, aut quæ non debeant ab omnibus admitti. Sed prolixitatem effugienti rerum veluti ſumma capita referre, & veluti prima principia eorum, quæ de aëre dici poſſunt, tradere mihi animus eſt; ut unuſquiſque facilè poſſit ex ſe conjectare, omiſſas quidem eſſe, ſed non deeſſe rationes eorum, quæ dicam. Supponenda autem ſunt ea, quæ ſequuntur.

I. Aër eſt corpus liquidum.

II. Aër habet partes, quibus conveniunt proprietates omnes, quæ corporibus tribuuntur: videlicet ſunt partes aëris trine dimenſæ; vel per aggregationem, vel per diviſionem majores, minoreſve eſſe poſſunt; ſunt loco mobiles, varias obtinent figuras, & alias habent, ſi qnæ ſunt, corporis proprietates.

III. Non minor differentia ſæpe eſt inter aërem & aërem, ac inter aquam, & aquam; inter aquam, & oleum; vel inter aquam, & vinum, vel acetum, aut alium quemlibet liquorem.

IV. Differentia autem iſta naſcitur pro va-

ria regionum, montium, vallium, fluminum, aliorumque ſimilium poſitione; & pro varietate eorum, quæ e corporibus in terraqueo globo comprehenſis emanant: reſpectivè verò ad corpora cœleſtia, ſaltem pro vario ſolis aſpectu poſituque, quo cuncta diverſimodè moventur in terra, differt aër ab aëre.

V. In aëre ſunt partes, quæ poſſunt pervadere cuncta alia naturæ corpora nobis huc uſque percepta; ſunt item & partes, quæ non poſſunt ultra meare per aliorum corporum poros.

VI. Partium aëris quædam faciliùs pervadunt vitrum exempli gratia, quàm papyrum, & e contra. Ex quo tum mente concipere, tum etiam rectè conjicere poſſumus, eſſe in aëre particulas, quæ faciliùs adhæreant uni corpori, quàm alteri; vel faciliùs auferant, ſive ſolvant, ſive arripiant aliquid ab uno corpore potiùs, quàm ab altero; & eſſe quædam corpora, quæ vix aliquid patiantur ab aëre: ſicuti aurum vix, aut ne vix quidem aliquid patitur ab aceto.

VII. Alterius aëris (ſicuti reliquornm omnium, quæ non ſunt eadem, aut omnino ſimilia) alius, atque alius eſt uſus.

VIII. Aëre maxima parte vivit homo, & aëre nutritur; ſive, quod idem eſt, multum continuò ab aëre ſuſcipit homo: id autem reſpirationis beneficio maximè ſuſcipitur.

IX. Aër, non minùs ac cætera corpora, ſimplici contactu poteſt diverſimodè movere, & alterare membra animalium: idque contingit, ſive internè, ſive externè intelligatur applicatus animalium membris.

X. Non

X. Non ſolùm cutis pori, quod omnes fatentur medici, ſed etiam in profundioribus narium partibus, in ore, in faucibus, in aſpera arteria, in pulmonibus, & ubicunque contingat aërem tangere partem aliquam corporis, meatus nonnulli ab aëre ſæpe ſæpius occluduntur, ſive obſtruuntur; & ab aëre ſæpe ſæpius non pauci meatus recluduntur, ſive aperiuntur.

XI. Aëre nonnunquam homines fiunt voraces, & liquores, quibus cibi præparantur, fiunt validiores. Aëre item nonnunquam appetitus infringitur, & liquores, quibus cibi præparantur, fiunt ignaviores. At quandoque mutatis his iiſdem, alia, atque alia fit ciborum in ventriculo & inteſtinis tranſmutatio, quæ ad hominis naturam conſervandam, aut perdendam magis, vel minùs ſit idonea.

Atque hæc quidem ſunt, quæ de aëris natura mihi ſupponenda videntur; quæ vel experientia conſtant, vel ab iis, quæ experimentis compluribus jam cognita & percepta habemus, facilè deducuutur. Ac ſi quis circa hæc intelligendi vires exerceat ſuas, facilè inveniet rationes eorum, quæ de aëre dicam.

CAPUT II.

De inſolationibus.

ILlis, qui minùs aſſueti ſunt, diuturnior mora ſub radiis ſolaribus, maximè directis, graviorum morborum ſolet eſſe cauſa. Quod qui-

buſdam in regionibus, & quibuſdam hominibus faciliùs & graviùs, aliis difficiliùs, & leviter contingit. Verùm reperiuntur etiam homines, quibus hoc nihil afferat incommodi; ſuntque, qui neque in ſe, neque in aliis ullam hujus rei habeant experientiam: qui propterea exiſtimare debent, non me ipſis hæc ſcripſiſſe.

Quibuſdam autem ſatis eſt una vel altera hora ſub directis ſolis radiis, maximè æſtivo tempore, & ſine ulla capitis cuſtodia dormiviſſe, ut poſtea experrecti capite doleant, & febre laborent. Qui ſi non dormiant, minùs afficiuntur. Omnium autem minùs læduntur, qui neque dormientes, neque omnino quieſcentes leniter aliquo in opere ſub ſole ſeſe exercent.

At ſano militi facilè eſt non dormire ſub ſole, facilè etiam eſt non omnino quieſcere ſub ſole: ſed quod ipſe difficile exiſtimat, laborandum frequenter ſub ſole eſt, quo rarefactis humoribus, & ſpiritus repetita retentione (quoniam confert non parùm in magnis conatibus ſpiritum retinere, & ipſius naturæ ſponte in magnis laboribus multas patimur ſpiritus interceptiones, & retentiones) nec non ipſa contentione muſculorum, & tendinum articulorumque motibus, oſcula multorum vaſorum ampliantur, fibrillæ pleræque nimis laxantur, magnaque fit ſudoris e glandulis cutis poriſque ejuſdem expreſſio. Sed in hujuſmodi ſtatu hominis vita nequit conſiſtere; & præter infinitas mutationes, quæ in aëre, & in animalium corpore poſſunt accidere, ſaltem poſt ſolis occaſum facta notabili aëris mutatione, & ceſſantibus

bus tandem ab opere militibus, facilè ſuccedit meatuum & pororum cutis obſtructio quædam, & cutis exſiccatio, fibrillarumque contractio, & prohibita tranſpiratio, quam ſæpiſſimè excipit febris; ac ſi alia concurrant, diarrhœa, vel etiam dyſenteria conſequitur; & non raró aliunde, ut a faucibus, & a naribus (quod frequentiùs accidit in inſolationibus) ſanguinis fit hæmorrhagia.

At in Hungaria multò plus, quàm in aliis regionibus, æſtatis tempore fertur aër diurnus nocturno diſſimilis. Cujus rei haud leve indicium eſt, quod, ſole ſupra horizontem exiſtente, caloris perceptiones moleſtæ nimis ſint militi; cum poſt ſolis occaſum ſtatim & repentè frigoris valida perceptio æquè moleſta ſit. Memini autem, quid ſimile contingere circa oſtia Tiberina me quondam obſervaſſe. Ibi autem hiemis temporibus exundante Tiberi, & ob minorem declivitatem, quam propterea in illis agris habent deciduæ pluviæ, latè palus campos occupat. Æſtate verò, ſubſidente Tiberi, ſiccantur maxima parte paludes, & creſcit ager, eſtque illis temporibus aër illius loci ſaluti hominum maximè incommodus.

Si verò miles ægrum trahat corpus, velut ſtipem quærat, vel exiſtimans ſolis radiis juvari, degit vel etiam dormit ſub ſolis radiis; huic propterea fit diuturnior febris, dyſenteria, vel diarrhœa, vel aliquis alius morbus. Qui morbi longiores etiam fieri poſſunt, ſi degat, vel etiam dormiat miles in loco, quàm ſibi conveniat, frigidiore. Nam hujuſmodi aër ejus etiam naturæ

eſſe ſolet, ut, ſi quæ non aderat, fiat in milite pororum cutis obſtructio; ac, ſi quæ aderat, fiat major, & curatu difficilior.

Quibus illud confirmatur, quod alibi ſcripſi, eo quod calefaciendi vim habet; & eo, quod habet vim refrigerandi, frequenter ſimiles omnino produci effectus. Ac quidem omnes medici, quorum ego nunc memini, clariſſimis verbis paſſim fatentur, tum inſolationibus & aëre fervidiore, tum aëre gelido & rigidioribus ventis perflato, obſtructiones pororum cutis fieri poſſe. Non pauci tamen facilè propriarum ſententiarum propriarumque obſervationum obliviſcuntur; & iis, dum opus eſt, & dum rerum naturæ quærunt cauſas, uti neſciunt. Neque nunc mihi animus eſt examinare, quod alias etiam omiſi, quonam ex his per ſe, quo per accidens iidem, ſimileſque fiant effectus: nam nihil ex hac quæſtione emolumenti accipiet miles.

Sed illud non præteribo, multum quidem conferre ad robur, ſalutemque militis conſervandam, corpus bene tranſpirare. In Hungaria autem æſtate, cum dies ſint fervidiores, noctes verò frigidiores & rigidiores, facilè fit pororum cutis obſtructio, & corpora minùs rectè tranſpirant. At omnium votis confirmatum utplurimum eſt, eos minùs laborare, & citiùs ſanari, ac meliora & tutiora de iis nos poſſe pronunciare, qui meliùs tranſpirant. Hinc eſt, quod ſudores utplurimnm, imò ferè ſemper, magnum ſint morborum caſtrenſium remedium; ac ferè ea omnia, quæ tanquam ſpecifica deprædicantur a ſcriptoribus in morbis caſtren-

ſtrenſibus, corporis tranſpirationem promovent.

Miles igitur, qui vult ſanus eſſe, non debet dormire ſub ſole; & ſub ſole moram faciens, non debet omnino quieſcere. Ac ſi illi neceſſum fuit laborare, & ſudare, & ſub ſole eſſe, non debet ſtatim omnino ceſſare a labore; non debet ſtatim tranſire in aërem frigidum nimis, atque nimis diverſum ab aëre, quem ſol illuſtrat. Sudores abſterget, & capitis ſui præcipuè cuſtodiam habebit, ſtudens, ne ab uno in aliud extremum repente fiat tranſitus.

Corpus ſuum leniter per intervalla perfricabit; & iterum, atque iterum caput, brachia, humeros, crura, & reliquum corporis leniter per intervalla perfricabit; quod remedii genus Hippocrati utrique, græco, & latino, magno fuit in uſu.

Iiſdem de cauſis eos motus membris ſuis leniter facere debebit, quos luctando facere conſueverunt homines: videlicet nunc unum, nunc aliud membrum leniter movebit. Quod etiam in equis, & in canibus, dum præ curſu incaluere, & humores habent agitatos nimis, equorum, & canum curant cuſtodes. Enimvero leni motu, frictionibuſque facilè impeditur, ne quid alicubi conſiſtens obſtructionem faciat, ex qua tumores, & eæ ægritudines, quas inflammationes appellant, facillimo negotio fieri conſuevere. Ex inflammationibus autem omne ferè graviorum & difficiliorum morborum genus ortum ducere poteſt. Atque ideo non abs re erit, illud etiam atque etiam repetere, quod ſæpe ſæpiùs facere debet is miles, qui vult ſanus eſſe: corpus ſcilicet poſt inſolationes, &

poſt vehementiores tum labores, tum ſudores, leniter perfricare, & membra utcunque leniter movere, inflectere, ac diſtendere artus.

Iis autem, quibus cutis aridior facta eſt, prodeſt pingui oleo, & butyro, vel pinguedine ſuilla, aut cervina, aut alia ſimili, manus perungere; quibus ſic perunctis, membra poſtea tractanda erunt.

Prodeſt autem acetum acerrimum olfacere, & aliquod guttas ejuſdem, vel fruſtum panis aceto acerrimo madidum, accipere.

Prodeſt etiam camphoram olfacere, aut unum vel alterum granum ejuſdem ore maſticare, & deglutire ſalivam; idque ſemel atque iterum repetere.

Poſtquam autem aliquantulum conquieverint humores a labore & æſtu, bibet, ſi velit miles, vel vinum lymphatum, vel cereviſiam, vel aquam puram, cui tamen ſpiritus vini nonnullæ guttæ ſint additæ; vel bibet aquam meliſſæ, quæ paſſim in agris & prope ſepes in magna copia reperitur; vel aquam menthæ, vel aquam ſaſſafras, vel aquam panis; vel bibatur aqua pura, in minori tamen quantitate. Largiores enim ſimplicis aquæ, omni ſpiritu carentis, potus minùs probo; ac melius exiſtimo, ſi ſaltem guttæ aceti aquæ addantur.

Sunt, quibus ob bilem efficaciorem, & oris amarulentiam, conferat ſuccum limonum, vel agreſtæ aquis permiſcuiſſe. Qui ſi potionem ſibi comparent ex aquis, ſucco limonum, & vini ſpiritu; vel ex aquis, ſucco agreſtæ, & aliquibus guttis vini ſpiritus, ventriculo maximè

con-

conſulent. Nam ventriculi maxima habenda tunc ratio eſt: impedita enim tranſpiratione, & dolente capite, ut accidit in inſolationibus, facilè ventriculus ſubvertitur, & totum opus præparationis, & diſtributionis, & appoſitionis alimenti fruſtratur natura.

Cæterùm multum intereſt, acido ſucco addidiſſe aliquot guttas ſpiritus vini; ac ego ſcio, qui ex liberaliori uſu ſucci limonum, vel in dyſenteriam, vel in dolores articulares, vel in tertianas quartanaſve curatu difficiliores inciderint. Acidi enim liquores ſimplices, maximè largiùs uſurpati, utplurimum non conveniunt in caſtris. Chymici ſæpe ſæpius ſolent acidiſſimis quibuſdam liquoribus ardentes vini ſpiritus copulare; atque ſic præſtantiſſima quædam medicamenta præparant. Ad quorum ſimilitudinem non raro ego ſucco acido limonum, vel agreſtæ, ſpiritum vini addidi; atque medicamentum habui adversùs ſitim nonnullorum nimis proficuum, & magnum æſtuantis ventriculi refrigerium.

Sunt, qui in ſimilibus occaſionibus exiſtiment, prodeſſe cibos quoſdam ignavos, ſpiritu & efficacioribus particulis carentes (ut ſunt citrulli, quorum magna copia in Auſtria, & Hungaria eſt menſibus Julii, & Auguſti, cucurbitæ, melones, endiviæ, lactucæ, aliique ſimiles) ſub ſpecie, quòd his ſanguis refrigeretur. Verùm his, ſimilibuſque, niſi quid vitium corrigens ignaviæ horum ciborum addatur, facile dantur manus morbis caſtrenſibus. Ea autem, quibus ignavia corrigitur nonnullorum ciborum,

ſunt allium, naſturtium, origanum, ſerpillum; thymus, coriandrum, cuminum, anethum, piper, zingiber, caryophylli, grana paradiſi, galanga, dictamnus, aliaque ſimilia.

Promovenda etiam urina nitro purgato (ſcilicet ſale prunellæ), petroſelino, apio, ſimilibuſque: quod etiam præſtant aliqua ex præcedentibus, ut eſt aqua pini reſinoſæ, & aqua, cui guttæ ſpiritus vini ſunt additæ. Etenim per urinas, inſenſibilemque corporis tranſpirationem, multa expurgantur inter ſe ſimilia, quibus retentis morbi fiunt; atque ideo ſi quid deſit expurgari per unam viam, tentandum eſt, ut per aliam expurgetur.

Demum ſi ab inſolationibus, celerique tranſitu in aërem multò diverſum, facta jam febris ſit, vel diarrhœa, vel dyſenteria, vel aliunde hæmorrhagia, aut aliud malum factum fuerit; ejus mali ſpecialis cura habenda erit.

CAPUT III.

De aëre cuniculorum, & eorum locorum, e quibus terra de recenti effoſſa eſt; ac de aëre nebuloſo, & de aëre rorifero.

NOn ſemel uſu venit, in caſtris cuniculos eſſa effodiendos, in quibus etſi dari poſſit caſus aërem eſſe ſalutarem; frequentiſſimè tamen, non ſecus ac accidit in fodinis, e quibus metalla vel carbonum foſſilium genera quædam eruuntur, aër non ſolum morbifer, ſed quandoque mortifer etiam eſſe ſolet.

Cuni-

Cuniculorum autem aëris pars eſt ipſe aër extrinſecus, qui neceſſariò, dum aufertur terra, ſuccedit in locum ejus repleturus ſpatium cuniculi, quod terra replebatur; pars altera ſunt ſubſtantiæ ab ipſo illo loco emanantes. Fortaſſis priùs parum, aut nihil ab illa tellure, & cuniculi lateribus ſolvebatur in auras; ſed ubi via adaperta fuit, ob contactum admiſſi extrinſeci aëris, fumi, vapores, & pro varia natura loci non uniuſmodi naturæ exhalationes, emittuntur. Quæ omnia ſimul commixta tertiam quandam ſubſtantiam, aërem nempe conſtituunt rariſſime ſalutarem, frequentiſſimè morbiferum, & non raró breviſſimo tempore mortiferum; & in hoc etiam aëre non ſemel vidimus ignem brevi momento omnino extinctum.

Enimvero terra differt a terra, & non ubique in terræ viſceribus eadem, aut ſimilia fiunt. Ac proinde, veluti ſi plures pyxides aliud atque aliud continentes aperirentur, prout in uno vel in alio loco terra effoditur, aliud atque aliud exhalat in cuniculi cavitatem; quod facit aërem illius loci utplurimum inſalubrem, qui non raró ne flammam quidem, aut ignem nutrire, aut recreare poſſit.

Similiter accidit ubicunque in aperto aëre terra de recenti effoſſa eſt; niſi quòd, cum locus concluſus minimè ſit, & aër magis perflетur, ac cum corpora e terra emanantia in amplius ſpatium recipiantur, neceſſariò ea, quæ juvare, vel nocere poſſunt, rariora erunt. Atque ideo aër iſte non concluſus cuniculo minùs juvabit, vel minùs nocebit pro ſui natura, quàm ſi quodammodo cuniculo

niculo concluſus eſſet. Utplurimum tamen hic quoque aër noxius eſt, & morbifer ſaltem, ſi non mortifer; & in eo prima principia ægritudinum curatu difficiliorum trahere poſſunt milites.

Porrò etſi, quantùm huc uſque memini a me vel ab aliis obſervatum, aër, in quo ignis, & aqua nequit conſiſtere, pernicioſus etiam ſemper ſit homini atque aliis animantibus; haud tamen e contra is aër, in quo ignis, vel flamma perennis eſt, aptus etiam eſt ad conſervandam hominis vitam. Nam is aër, qui eſt circa corpus hominis, variolis, morbillis, vel peſte laborantis, nihil, quòd ſciam, nocet igni, flammæque; cum tamen manifeſtò inſalubris ſit, homineſque complures enecet.

Neque in eadem foſſa quilibet locus eſt æquè inſalubris; cum non omnes æquè aut ſolis radiis illuſtrentur, aut ventis perflentur, aut reflexus habeant, aut in cæteris ſimiles ſint.

Neque omnes æqualiter, aut æquè citò læduntur in aëre inſalubri; & ſunt etiam nonnulli, qui omnino non lædantur. Quòd etiam in peſte facilè obſervare licet: nam etiamſi plures æquè occaſionem habeant contrahendi morbum, haud tamen æqualiter, aut æquè citò peſte afficiuntur; & nonnullos cognovi, qui, inter peſte afflictos familiater verſati, peſte minimè laborarunt.

Verùm quicquid ſit de his, illud mihi videtur omnino certiſſimum, uſu aëris cuniculorum, foſſarum, & eorum locorum, e quibus terra de recenti fuerat effoſa, Germanorum fortiſſima corpora nonnunquam graviter ægrotaſſe; & non

non pauca e vivis fuiſſe ſublata. Atque equidem exiſtimo, Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine Joſeph Medices Octaviani Princeps, filium tuum Andream non minus, quòd ex te eſſet ortus, quàm moribus & prudentia, quæ ſuperaret ætatem, illuſtriſſimum, occaſione morbiferi aëris ægrotaſſe priùs in noviſſimis caſtris Budenſibus, & poſt paucos dies, proh dolor! acerbè nimis e vivis fuiſſe ſurreptum. Etenim, ut mihi reverſus ab iiſdem caſtris narravit Illuſtriſſimus Joannes Baptiſta Caracciolus e Martinæ Ducibus, cum egregius filius tuus tota die in ſtatione fuiſſet prope murum inimicum (*negli approcci* dicunt) ubi aër non uno tantùm nomine gravis erat, veſperi reverſus in tentoria cœpit levi horrore, & febricula laborare. Inde cum magna, ſub ipſo principio morbi, virium jactura alvus illi nimium, atque nimium ſoluta eſt; ſine tamen ullo gravi ventris dolore, & ſine ſanguine; morti autem proximus convulſionibus etiam tentatus eſt.

Quid facere debui, cum rumor ad me devenit ægrotare juvenem, heu gloriæ in primo ætatis flore nimis avidum! Interrogabam Illuſtriſſimum Marchionem Joannem Baptiſtam Puccium, apud Cæſarem juſſu Sereniſſimi Magni Ducis Hetruriæ Reſidentem, ſi quæ certa haberet; qui de hoc etiam me interrogabat: uterque malè inſtructi de ſtatu morbi: nos Viennæ, at ille in caſtris circa Budam: ſcripſi generalia quædam, quæ tunc mihi viſa ſunt, Marchioni Cæſari Mormili, quem cognoveram filii tui amiciſſimum. Sed priùs ille mortuus eſt, quàm litera

litera in manus Marchionis devenerit, & conſilio aut opera auxilium aliquod ægrotanti afferre potuerim. Hoc mihi maximè diſplicuit, quòd non ego quoque in caſtra deſcenderim. Fuiſſet fortaſſis etiam mortuus, ſed aliquod morituro ſolamen attuliſſet, & levior eſſet matris fratrumque ſuperſtitum luctus, ſi inter manus ejus, quem tu Princeps humaniſſime multis beneficiis cumulaſti, animam reddidiſſet. Verùm non leve ſolamen vobis omnibus afferre debet, quod non uſquam peritura maneat egregii juvenis memoria, quòd pro fide, & pro tanto Imperatore occubuerit; quòd morum amœnitate, magnanimitate, & fortitudine animi virtutibuſque omnibus magnum Duci, commilitonibus, & honeſtis viris omnibus ſui reliquerit deſiderium.

Aër autem nebuloſus, etſi fortè non habeat niſi aqueos vapores, attamen puro & ſincero ſemper inferior eſt. Sed id, quod non leve exercitui faceſſit negotium, eſt, quòd nonnunquam, præter aqueos globulos, aliud atque aliud permixtum habeat nebula, quo graviter nocet, ſæpiſſimè verò ſubſtantiam quandam ſoporiferam contineat, quæ ſenſuum omnium hebetudinem, & virtutum omnium hominis ſtupiditatem inducit.

Non refero hic fœtores, quos faciunt nebulæ: nam re vera non ideo nocent, quia fœtent. Verùm aër nebuloſus noxius eſt, quia obſtruit nonnullos meatus; quia humores reddit minùs permeabiles; quia non eſt potens facere humores, quantum expedit, reſolubiles; quia corpus

eo

eo fit minùs perſpirabile; quia ſucci, quibus cibi præparantur in ventriculo & in inteſtinis, vitium aliquod inde acquirunt; aut aliter nocet. Atque ex his ſimilibuſque quicunque morbi ortum habere poſſunt. Cæterùm fœtor (niſi fortè olfactus organa ipſa ſint vitioſa, ſicuti cum duplicia videt oculus, ſimplicia quæ ſunt) ſemper indicat, aërem non eſſe purum.

Nebulæ autem in aliis locis frequentiores, in aliis minùs frequentes ſunt. Neque ſemper eædem, aut omnino ſimiles ſubſtantiæ nebulis advehuntur; neque æqualiter omnibus annis, neque ſemper iiſdem menſibus æquè ſunt pernicioſæ; ut magna ſit in his, ſicuti in cæteris omnibus, varietas. Potiſſimùm autem circa æquinoctia obſervantur. Et hic Viennæ circa æquinoctium autumnale, & poſt æquinoctium autumnale magnæ fuerunt nebulæ non ſolum fœtentes; ſed, ut pluries in inferiori Germania in ſemetipſo obſervavit Helmontius, ſpiritus difficultatem quandam facientes. Aliis atque aliis ſubſtantiis ſaturatæ, nunc craſſiores, nunc tenuiores ſunt; ut nunc ad pauciores, nunc ad plures pedes pateat aſpectus: frequentiſſimè autem ad plures paſſus non patet. Et quidem, pluries atque pluries non mihi licuit (alias benè videnti) horas legere in tintinnabulis ſive Divi Michaëlis, ſive Divi Stephani; nam ſuperior pars, in qua ſunt notæ horologiorum, adeo erat nebulis ſuffuſa, ut omnino non poſſet conſpici.

Multum verò intereſt, in urbene, an in caſtris;

ſtris; & brevi, an longiori tempore nebuloſo aëre utatur homo.

Menſibus autem Junii, Julii, & Auguſti in Auſtria & Hungaria (ut etiam in pleriſque aliis regionibus) noctu aër ſolet eſſe rorifer. At roris ſimiliter, ac dictum de nebulis eſt, non eſt ubique eadem natura. Neque in uno, eodemque numero loco ros perpetuò uniuſmodi eſt. Quandoque nihil aliud eſt, quàm pura, & limpida aqua. Quandoque, etſi aqueus liquor primo aſpectu videatur, aliquid aliud eſt. Aliquando alvum ſolvit efficaciter. Et non rarò multipliciter probatus multis ſignis oſtendit erodentes habere particulas, quod plerique norunt chymicorum. Atque ideo omnino verum mihi videtur, roriferum aërem multum poſſe in corporibus animalium.

Neque videtur vero abſimile, uſurpatum reſpiratione roriferum aërem, præter alios morbos, pro varia ejus, & hominum, quos afficit natura, nunc diarrhœam, nunc dyſenteriam, nunc utrumque eodem tempore, diarrhœam & dyſenteriam, facere.

Item ea, quæ rore hujuſmodi ſunt aſperſa, in cibum potumque hominum uſurpata, poſſunt facere diarrhœam, vel dyſenteriam, vel alios morbos. Quin & carnes, & lac animalium herbis paſtorum rore madidis, roreque connutritis (nam plantæ omnes multum accipiunt ab aëre), eoſdem atque ſimiles morbos poſſunt concitare in hominum corporibus. Cumque ſciamus, carnes & lac caprarum, elleboro paſtarum, ſolvere

vere hominum corpora, cum capræ ipſæ nihil ab elleboro patiantur; non video, cur non idem poſſit contingere virtute eorum, quæ de cœlo in terram veniunt.

Ac cum nonnulli in exquirendis cauſis morborum aſtra ſæpe accuſent; multò certius & evidentius mihi videtur, aërem, qui non ſemper eſt unius naturæ, debere nos accuſare.

Quæ quidem omnia multipliciter oſtendi poſſunt. Ac de rorifero aëre, quod ſit aliquando cauſa popularis diarrhœæ, vel dyſenteriæ, non levis conjectura eſt, potiſſimùm iis temporibus morbos iſtos accidere homini, in quibus aër rorifer eſſe conſuevit. Julio & Auguſto menſibus præſentis anni 1684. dyſenteriæ, & diarrhœæpopulares fuerunt Linzii, & in Cæſareo exercitu. Et anno præcedenti circa eadem tempora iidem morbi populares fuerunt Viennæ, priuſquam obſideretur a Turcis, & circa Viennam tempore obſidionis in Turcarum exercitu. Dignum etiam notatu eſt, quod circa æquinoctium, & poſt æquinoctium, raræ novæ dyſenteriæ vel diarrhœæ factæ fuerint in exercitu, & nullæ vel rariſſimæ Linzii. Multi quidem valetudinarii erant, qui adhuc diarrhœa vel dyſenteria laborarent; ſed ægritudines iſtæ utplurimum ortum habuerunt menſibus Julio & Auguſto, & primis diebus Septembris. Menſibus verò Septembris, Octobris & Novembris frequentiores factæ ſunt tertianæ & quartanæ. Sic etiam in Italia populares tum dyſenteriæ, tum diarrhœæ, æſtatis temporibus accidere ſolent.

His, quæ ſupra dixi, non equidem ego affirmo, diarrhoeas & dyſenterias non fieri poſſe ex aliis cauſis. Sed his certum militem facere volui, ſæpenumero de cœlo pluere morborum caſtrenſium cauſas.

In prædictorum verò confirmationem multa addere poſſem de manna, quæ non ubique ubi, ſunt fraxini, ornique, ſimiliter; neque in uno eodemque loco omnibus annis ſimiliter colligitur. Vidi ego quercum roſcidis mellibus æſtatis tempore nimis gravatam; eratque locus, in quo non quicquam ſimile memorabatur obſervatum. Vidi Neapoli in lineis pannis ſanguineo aliiſque coloribus inſignes cruces, ſive potiùs maculas quaſdam vidi rudem ſimilitudinem quandam crucis effingentes in pannis, quorum fila ad angulos rectos (hoc eſt crucis in ſpeciem) ſe interſecant. Quæ omnia, & alia multa, confirmant, variis temporibus varia quidem atque varia decidere de cœlo; quæ iis addita, quæ in terris ſunt, aliud atque aliud efficere poſſunt.

Etſi autem difficile ſit, his omnibus occurrere, & omnino ab aëris inclementia eſſe immunem; multa tamen dubio procul fieri poſſunt, quibus vel rariùs, vel leviùs noceat aër. Atque equidem quicunque mente, & ſenſu, vel ſaltem mente tantùm, percipiunt, ab aëre offendi corpora, etſi nocendi modum & rationem ignorent (dummodo haud caſu, & fortuna volentes vitam ducant); ſi non omnia, quæ ipſis ab aëre imminent, certè majorem partem periculorum ex ſe ipſis & proprio ingenio evitabunt.

Et præterquam manifeſtum eſt, naturam humanam

manam ſine notabili noxa, dummodo non quis eandem opprimat diuturniori malo, malorum multas, & bonorum, ferre viciſſitudines; referam inſuper aliquid majus, ut minora concedantur, ſcilicet non eſſe impoſſibile, aëris peſtiferi in medio aëre nos uti, qui peſtifer non ſit, ac plerumque facilè, ſi prudenti aliquo utamur conſilio, nos efficere poſſe,ut omnino nihil inſalubris aëris proximo ſalubri permiſceatur, vel non in ea copia, quæ nocere poſſit, permiſceatur. Quod quidem pluries atque pluries in peſtiferis aëris conſtitutionibus eſt obſervatum. At, ſi non ego omnia in his præſtitero, unuſquiſque pro variis occaſionibus, & pro ea, quæ eſt inter locos differentia, & pro varia rerum experientia, aliud atque aliud his addere poterit, quo ſibi atque aliis proſit. Ego autem, eodem ſervato ordine, priùs loquar de aëre cuniculorum.

I. Cuniculorum minus gravis eſt aër, ſi paſſim cuniculi multa habeant ſpiracula, aditusque, exituſque, quibus nonnihil emittatur, nonnihil admittatur eutrinſeci aëris.

II. Multum prodeſt juxta aditus cuniculi, vel paullum intra cuniculum aliquid ſtatuere, quod aër extrinſecus veluti alliciatur. Id autem eſſe debet univerſæ naturæ, & pulmonibus amicum, & in exigua quantitate efficax: cujuſmodi eſt, inter alia multa, ex puro ſulphure igniculus. Et quidem, etſi ſulphuris fumus ingratus ipſe ſit, nares vellicet, & pulmonibus videatur moleſtus, re vera minimè omnium pulmones lædit; & independenter ab eo, quod igniculo, qui fit ex ſulphure accenſo, alliciatur extrinſe-

cus aër (quod etiam ſit quocunque igne) multa ſulphur ex ſe præſtare poteſt beneficia. Cujus rei ſufficientem habeo ex eo uſque tempore experientiam, in quo peſtis ſæviſſima Neapolim graviter infeſtavit.

III. Expedit etiam, non intrare jejunos homines in cuniculum, ſed priùs aliquid accepiſſe, quo humores frementententur, rareſcant, tranſpiratio promoveatur, aliaque fiant in corpore humano, quæ remedia ſunt maleficiorum, quæ ab aëre accidere poſſunt. Hujuſmodi ſunt allia cruda, leviter inciſa & devorata ante ingreſſum, vel in ipſo cuniculo; myrrhæ ſcrupulum devoraſſe, & vinum ſuperbibiſſe; vel myrrham ex vino ſumſiſſe. Neque mehercule decet fortiſſimos homines de myrrhæ, vel vini, cui myrrha ſit adjecta, amaritie quadam conqueri. Primùm quia non tam ingratus eſt ex myrrha ſapor; & non ego pueris, vel virgunculis loquor delicatioribus; quorum tamen non paucos novi abſinthia ex præſcripto matrum, cum opus eſſet, potantes. Secundò quia haud levis res agitur: conſervanda ſalus eſt, vel ut fidem religionemque defendamus, vel ut patriam, filios, caſtaſque uxores, pulchraſque virgines, ab hoſtibus tueamur.

IV. Quod ſi is, qui non timet diſtrictos gladios, non etiam vereatur ſaporem ferre aliquantulum ingratum, docebo ego remedium nimis efficax, quo ſibi, & commilitonibus omnibus, in malitia aëris cuniculorum, levi ſumtu prodeſſe poſſit.

℞. Myrrhæ optimæ unc. 1. aloës hepaticæ unc.

ſem.

ſem. croci ſcrup. I. m. & ſuperaffuſis ſpiritus vini unc. 3. fiat extractio, quæ ſervetur.

Uſus hujus ſpiritus eſt ad guttas X. vel XV. ex vino.

Similiter baccis juniperi ſuperaffundi poteſt aqua vitæ largiori manu ſumenda. Sed baccæ juniperi cum operæ pretio maſticantur, & ſumuntur, & poſtea vel vinum, vel aliquid aquæ vitæ, ſuperbibitur.

V. Item prodeſt camphoram ad grana duo, vel tria, ſemel atque iterum in die, ore detinuiſſe & maſticaſſe, & degultiviſſe ſalivam. Incredibile eſt, quàm præſtantes ſint camphoræ in morbis caſtrenſibus effectus.

VI. Sunt fortè, qui ipſum pulverem bellicum commendent, & voluiſſent etiam me ejus meminiſſe, cum de inſolationibus dictum fuit. Sed ſi adſint alia, melius eſt pulverem bellicum ſervare in hoſtium necem. Non tamen damno medicamentum ex vino ſuntum ad magnitudinem ſcrupuli unius, vel dimidiæ drachmæ, vel ad quantitatem, quæ tribus digitis accipitur.

VII. Aqua vitæ autem, ſive ſpiritus vini, maximi uſus eſſe poteſt in cuniculis, ſive eo foveantur nares, & ora, aërem trahendo per medias manus ſpiritus vini guttis perfuſas; ſive manibus ſimiliter madidis aures parteſque, quæ circum aures ſunt, frontem, genaſque perfricemus; ſive ejus aliquid per os ſumatur. Mille autem ſunt ſpecies variè utendi pro varia quantitate, & pro varietate eorum, quæ ſpiritui vini adduntur, vel permiſcentur. Mihi frequen-

ter arridet ſimplicis ſpiritus in exigua quantitate, ſed repetitis atque repetitis vicibus, uſus.

Siquis autem ſimpliciora, faciliora, tutiora, & efficaciora novit medicamenta, non omittens occaſionem ſibi aliiſque opem ferendi, his, quæ diximus, addere poterit.

Eorum verò, quæ ſuperiùs relata ſunt, & non inveniuntur in agris, exigua ſpectata quantitate, in qua uſurpari debent, vili certè veneunt pretio.

VIII. Quæ omnia iis etiam conveniunt, qui foſſas cuſtodire, & in foſſis debent immorari; vel ejus loci utuntur aëre, e quo terra de recenti effoſſa eſt. Nec non etiam, ubi aër eſt nebuloſus, aut rorifer, illa omnia convenire poſſunt.

IX. Verùm de accenſi ſulphuris exhalationibus addo, quòd iis, poſt expletum munus militare, in tentorio miles uti per intervalla temporis poſſit, maximè, ſi mentis ſenſuumque ſtupiditatem quandam & inertiam in ſemetipſo percipiat: vel ſecum deferet filum ſulphuratum, quod funiculi igne, quem ſecum deferre ſolent milites, accenſum exhalationes emittet ſpiritu ducendas, ut ea vitia emendentur, quæ ab aëre noxio accepit.

X. In aëre autem nebuloſo, præter illud, pluries olfeciſſe vini ſpiritum, & eodem foviſſe nares, aures temporaque, multum proderit incedere, non ſolum capite velato, ſed fronte, auriculis, mento colloque bene munitis. Nam illud, diverberari partes corporis immediatè a nebuloſo aëre, multum nocet, quod evitatur cooperiendo eaſdem partes. Qua etiam ratione

ne conſervatur, circa os & circa faciem, aër quidam proprius hominis, ut ſic dicam, quo meliùs idem homo a nebula defendatur.

Hæc autem ita poſſunt aptari, ut, ſi non ſit opus alias partes cuſtodire, ſummum tantùm caput complicato velamine cooperiatur: at, ſi videamus indigere nos, propter nebulas, meliori partium prædictarum cuſtodia, explicatis plicis collum, mentum & auriculæ præcipuè defendantur.

Sed jam multæ ſunt ſimilium capitis velamentorum ſive muniminum apud varios populos in frequenti uſu ſpecies, ſic concinnatæ, ut terrorem etiam facilè hoſtibus incutiant. Atque ideo his operam dediſſe non ſolùm proderit ad arcendam noxam ab aëre nebuloſo, vel roriſero, verùm etiam ad hoſtes terrefaciendum.

XI. Aërem verò roriferum eſſe, noctu tantùm accidere ſolet, & ſæpe ſæpius ſtatutis horis poſt ſolis occaſum, vel ante ſolis exortum. Ut proinde facilius ſit nobis cavere ab hujuſmodi aëre, dummodo res ipſa, quæ nocet, intelligatur, & aliqua diligentia adhibeatur.

Sunt, qui ſperent divinitus, & ſupernaturalibus virtutibus, ſalvos eſſe, & interim oſcitanter & caſu vivunt, quibus quodvis ſtudium, quod eos revocet a vitiis, & ab ignavia grave videatur. Non his loquor, qui ſtultiſſimi ſunt, ſed iis, qui ſunt dociles & ingenioſi, qui animi potiùs ſolertia & ingenio uti volunt, quàm caſu vivere.

His inquam ſola diligenti & accurata tentorii conſtructione (ut latiùs dicam in ſequenti

ti capite, in quo de iis agam, quæ militi dormi-tum ituro prodeſſe poſſint) ab aëre rorifero, vel etiam nebuloſo, facilè militi provideri poſſe. Nam, ut dixi, non eſt impoſſibile, aëre nos frui optimo, cum proximus aër extrinſecus nebuloſus, vel rorifer, ſit.

Quod ſi miles vel in excubiis ſub dio ſit, vel in itinere, & neceſſariò aëre rorifero, vel nebuloſo, uti debeat; non equidem neceſſitas iſta durare ſolet, niſi paucarum horarum ſpatio, ut, ſi aliquo utatur eorum, quæ ſupra retuli, immunis etiam ſit. Natura enim hominis, in viciſſitudinibus boni & mali, multas ſine notabili noxa fert extrinſecas injurias. Etiam manus brevi tempore ſine noxa fert ignis vehementiam. Et quædam ſunt, quæ, dummodo haud oſcitanter & incuriosè poſtmodum vivant homines, unius vel alterius diei tempore ſine notabili noxa ferantur; cum illa eadem iis, qui ſine cautela & ſine ullo ſui ſtudio vivunt, & errores erroribus addentes naturam opprimunt, brevi tempore noceant.

Exempli gratia is, qui aëre nebuloſo, vel rorifero, eſt uſus, ac poſtea cruda, & ignava, & nihil ignis aut efficaciorum particularum habentia, ſed actu frigida, aſſumit, & aquam bibit; facilè brevique tempore ægrotabit.

E contra is, qui ſimiliter aëre nebuloſo, vel rorifero, eſt uſus, ſed poſtea corpus ſuum curavit in loco ſicco: caput, frontem, oraque, & colla manibus perfricavit: vini ſpiritus guttas nonnullas naribus admovit: per medias manus ſpiritu vini madidas aërem hauſit: qui cibum actu

cali-

calidiſſimum devoravit; aromatici aliquid addidit, ut pulegii, thymi, cinnamomi: nucis moſchatæ, vel tenues taleolas radicum naſturtii cum pane edidit, aut quid ſimile inſuper præſtiterit: difficulter ægrotabit.

CAPUT IV.

De iis, quæ ſervare debet miles dormitum iturus.

VEtus fuit medicorum opinio, ut a Galeno, & ab aliis, accepimus, homines in pleriſque beſtias imitatos multa præclara remedia habuiſſe. Quod mihi non ſolùm videtur veriſimile, ſed etiam noſtris temporibus pleroſque hominum multa a beſtiis doceri poſſe, omnino videtur verum. Siquidem multa quotidie ab illis fiunt, quorum magnus eſt ipſis uſus, vel naturæ neceſſitatibus ut ſuccurratur, vel ut præſerventur ab ægritudinibus. Cum autem in unaquaque ſpecie peculiare quicquam obſervare liceat, in pleriſque tamen eadem, vel planè ſimilis ſollicitudo eſt de loco eligendo, in quo dormiant. Locum utplurimum quærunt tempeſtatibus anni magis convenientem, & propriæ naturæ neceſſitatibus magis accommodatum, ab imbre, vel a gelu, vel a ventis, vel a venatoribus magis tutum. Et in his arte quadam utuntur, quæ ſi non eſſet, certò certius multa animalia haud multas numerarent hiemes, ſed brevi perirent.

Ac ſi quis avium diligentiam obſervet in

conſtruendo nido, apum architectonicam in ædificandis favis, in quibus tutæ dormiunt, nidificant, propagationi & mellificationi ſtudent, non dedignabitur apiculas, aves, & alia animalia in pleriſque aliis, & præcipuè in electione loci, in quo ſomnum capiat, magiſtros habere. Magni enim momenti eſt in tuenda ſanitate, & in propellendis morbis, locum habere, in qno tuti ab omnibus injuriis caput poſſimus reclinare. Iſque non eſt inventu paratuque difficilis: nam non homini ampla domus neceſſaria eſt: ſufficit caſa, ſufficit rude tugurium, ſufficit ſpecus, ſufficit quodcunque, ſed tamen tutum ab imbre, & a ventis, & a ſolis radiis vehementioribus: ſufficit brevis anguſtaque tana, quæ non deeſt brutis, etſi tanto illa non polleant ingenio.

Sed neſcio, quo fato, ſive potiùs ſocordia, homo ſæpe ſæpius ſuimet ignoret animi corporiſque vires: quibus ſi ſemper, ut decet, uteretur, ubique locorum, quantum humana fert natura, poſſet eſſe felix. Quodque pejus eſt, non rarò uno eodemque tempore, eademque incuria & negligentia, multipliciter peccat, & contra divinas, & contra humanas leges, & in ſociorum, & amicorum, & in proximi, & in ſuimet ipſius perniciem.

Ac quidem milites frequentiſſimè, & multipliciter, & contra leges militiæ, & contra regulas conſervandæ propriæ ſalutis, peccare ſolent in tentoriis aptandis diſponendiſque, & in loci electione, & præparatione, in quo dormiant, & ſæpenumero eo, quo refici debuiſſent,

ſent, ſomno ſcilicet in loco apto, opprimuntur.

Alius propter imperitiam ſibi ſtatuit tentorium ex una parte collis; cum fortè ſecundùm utraſque leges, & militaris, & medicæ diſciplinæ, melius fuiſſet tentorium ſtatuere ex altera parte, vel collis in ſummitate, ubi plerumque aër ſolet eſſe purior.

Alius, non obſervans regionem circumpoſitam, in humili loco ponit tentorium, in quem, ſi pluat, aquæ omnes confluant, atque ideo is, ſuaque omnia, palude corrumpantur, vel ſaltem palude obſideantur. Ac ſi non pluat, tamen derivatis hoſtium opera proximorum fluminum aquis, is, qui malè tentoria poſuit, propter loci humilitatem merſus aquis ſuffocatur; vel cum tentorio, & aliis, quæcunque habet, flumine rapitur.

Alius claudit tentorium ex illa parte, ex qua ſpirant ſalutares venti, aperit ex illa, ex qua ſpirant inſalubres: cum non raro, etiam ſecundùm militares artes, ut promtior ſit vel ad invadendum, vel ad ſe defendendum, melius fuiſſet oppoſitum feciſſe ejus, quod fecit.

Alius non rem univerſam ſic aptat, ut pro libitu aperire & claudere poſſit tentorium ſuum, vel ad ſuſcipiendas ſalutares auras, vel ad circumſpiciendum ſpeculandumque ea, quæ fiunt in regione, vel ad prohibendos quibuſdam horis directos ſolis radios, vel ad nebulas, aut roriferum aërem evitandum.

Alius non tendit, quantum opus eſt, tentorii telas; fiuntque propterea ſinus, in quibus recepta

recepta aqua pluvialis perpendiculariter defluat intra tentorium, & nonnunquam in illum ipſum decidat locum, in quo ipſe miles dormit.

Alius haud æquè, & haud ſatis firmat oppoſita latera tentorii; & aliquando ſub mediam noctem ventus irruens ex uno tentorium dijicit, proſternitque in alterum; atque ſic vel opprimit dormientem militem, vel ſaltem idem ſub apertiſſimo cœlo reliquum noctis aget, & nebulis, vel rorifero aëre, eò magis offendetur.

Alius tentorium ſtatuit tam altum, ut pateat infernè cuicunque aeri ingreſſus. Nec ipſe aliam telam humiliter atque aptè circum expandit; quæ nebulas vel roriferum arceat aërem. Nec ramis foliiſque arborum, aut palearum faſciculis, inferna parte tentorium circumſepſit. Is, licèt nocte una vel altera e clementioribus nihil omnino damni accepiſſe ab aëre nocturno rectè poſſit exiſtimare; attamen is idem, nihil providens ea, quæ poſſunt in futurum contingere propter repentinas cœli mutationes, tertia, vel quarta, vel quinta, vel alia nocte admiſſis nebulis, vel rorifero aëre tam graviter lædetur, ut ex hac una cauſa brevi moriatur. Ac etiamſi nullæ ſint nebulæ, nullus ſit ros, cum utplurimum irrequietus ſit aër, admiſſis ventis ipſa atmoſphæra circa hominem aſſidua, & frequenti mutatione miles læditur. Nam in pleriſque Europæ regionibus, & potiſſimùm in Hungaria, hoc ipſum, quod nullus ſinatur certus aër requieſcere, ſive, ut meliùs dicam, immorari circa corpus hominis dormientis, hominem perdit. Exiſtimo autem in aliis regionibus, & in iis

iis præcipuè, quæ ad aquinoctialem circulum magis accedunt, id nunquam, vel minùs frequenter, contingere.

Alius cum potuerit ſic circum aggerem tollere, ut tellus eſſet munimentum adversùs hoſtium incurſiones, eſſet munimentum adversùs nebulas, aërisque repentinas mutationes; totum oppoſitum fecit, aggerem congeſſit terræ ratione, qua faciliùs offenderetur, vel minùs defenderetur ab hoſte, a ventis, nebuliſque, aëreque rorifero. Quæ peſtes nonnunquam propter aggeris vitioſam conſtructionem, tanquam fluminis aquæ per canalem, pleniùs & majori cum efficacia in tentorium diducuntur.

Amici, voſque omnes, qui rediiſtis ex caſtris Budenſibus, quid quæſo cauſæ fuit, quod veſtrum alius mane reperiebat pallia rorido humore perfuſa, gravia, & madefacta, alius non item? Alius vel ipſo olfactu ſentiebat nebulas intra tentorium, quas manu etiam quandoque palpabat, alius non item? Alius, cæteris paribus, mane ſurgebat veluti membris contuſus, ac ſi vapulaſſet, alius non item? Alius dum dormiret diverberatus a ventis, poſtea ſurrexit facie pallidus, oraque habens mortuo ſimilia, alius non item, ſed validus ſurrexit? Alius, cæteris paribus, mane vix poterat ſpiritum haurire, & craſſam viſcidamque pituitam e faubus tuſſi evellere, alius nihil iſtorum patiebatur?

Credite mihi, hæc aliaque ſimilia majori parti veſtrum facta ſunt, vel quia caſu fortunave alius malum, alius bonum obtinuit locum, in

in quo ſomnum caperet; alius nulla uſus prudentia eſt; alius induſtria, arte & prudentia, eſt uſus in tentorii poſitione, & in loci, in quo requieſceret, electione.

Non ego hic omnia poſſum minutiùs perſequi, & caſus omnes ſermone complecti. Sed voſmet poſt luſus & rixas, vel etiam poſt ſeria, aliquam huic etiam ſtudio concedentes operam, comparate ea, quæ vobis acciderunt: facilè enim reperietis artem, qua magis tuti ab aëre, & hoſtibus infenſi magis, eſſe valeatis. Reperietis, frequentiſſimè plus deſudare milites, ut pejus ipſis ſit, & ut fruſtrentur opera, quàm deſudandum fuiſſet pro victoria, & pro exercitus incolumitate.

Verùm enimvero etſi omittam exemplis quamplurimis ab his, quæ noſtra ætate acciderunt, deſumtis rem præſentem illuſtrare; non tamen prætercam oſtendere, in quo potiſſimùm ratio conſiſtat ſeſe tuendi ab aëre, ſaltem dum quis dormiturus eſt.

Ac omiſſis tentoriis, de quibus etiam mihi videor ea monuiſſe, quæ in rem præſentem conveniant, breviori utens ſermone dico, rem omnem in eo potiſſimùm conſiſtere, ut arbitrio prudentis militis atmoſphæra, quæ circa ejus corpus eſt, prout res exigit, magis minùſve conſervetur; & pro lubitu & arbitrio hominis tanta communio detur inter aërem, qui eſt circa corpus ejusdem hominis, & proximum circumpoſitum aërem, quantum volumus utrumque aërem habere communionis.

O ſi homo ſciret, quantum præſidii eſt in ſemet-

metipſo, multò ſanè eſſet beatior; ac ſi ſciret, quantùm conducat in pleriſque occaſionibus propriæ atmoſphæræ rationem habuiſſe, multò minùs ægrotaret.

Nunquam autem omnino prohibenda eſt communio inter noſtram atmoſphæram, & proximum circumpoſitum aërem. De quo tamen non eſt neceſſum, nos nimium eſſe ſollicitos: nam difficile nimium eſt penitus prohibere communionem iſtam; & niſi non vulgari ſolertia magnum ſtudium adhibeatur, ut vitetur hujusmodi communicatio, ſemper hominis atmoſphæra cum proximo circumpoſito aëre communicabit. Quamobrem id potius ſtudere debebimus, ut hujusmodi communicatio penitus prohibeatur, etiamſi ſciamus, certo certius hoc non ſolum nocere, ſed hominem enecare. Enimvero vel nos non aſſequemur hoc ipſum, quod conabimur, quoniam ex ſui natura difficile eſt; vel etiam ſi aſſequamur hoc, quod nocere diximus, attamen facillimè, & nullo penè negotio ſemper, ac videbitur, efficere poterimus, ut hominis atmoſphæra, facto alicubi aditu, cum proximiori circumpoſito aëre còmmunicet.

Quod ſi multi in opus, quod omnibus prodeſſe poſſit, ſimul concorditer concurrant, & ſibi unanimiter proſpiciant, non eſt profectò difficile, circumpoſitum aërem noxium, quantum opus, prohibere. Eorum, qui concordes ſunt, creſcunt quodammodo vires, minuiturque ſine dubio labor. Diſcordantium verò minuuntur vires, & labores creſcunt in immenſum.

ſum. Cujus quidem rei in aliis hominum negotiis ratio non eſt obſcura; in his ſanè, de quibus loquimur, eſt ſanè militi manifeſta. Bonus enim miles facilè cognoſcit, ambitus nequaquam creſcere ſecundùm rationem ſpatiorum.

Exempli gratia circulus duplus circulo non habet circumferentiam duplam, ſed multò minorem. Nam is circulus, qui duplam habet peripheriam, eſt circulo quadruplus; ac proinde ſi quatuor concordes milites circulum circulo quadruplum terræ aggeribus cingere debeant, levabuntur dimidio ejus laboris, quem ſingularis miles impendet ad cingendum aggere ſimplum circulum.

Sic exempli gratia ſpatium cubicum A, cubico ſpatio B 27 vicibus majus, non equidem habet vicies ſepties majorem ſuperficiem, ſed tantùm nonuplam; atque ideo, ſi oporteat 27 milites circummunire, & defendere ab aëre ſpatium cubicum A æquale 27. cubis B, labor ſingulorum militum æqualis erit tertiæ tantùm parti ejus laboris, quem miles ſingularis impendet pro muniendo & defendendo ab aëre ſpatium cubicum B.

Videlicet, ut paucis comprehendam id, quod bonus novit miles, in planis ſuperficiebus ſimilibus, & in pleriſque aliis, lineares perimetri rationem habent æqualem rationi homologorum laterum. At in ſolidis ſpatiis ſimilibus, quæ planis terminantur, & in aliis pleriſque, ſuperficiales ambitus rationem habent æqualem rationi quadratorum ex homologis lateribus.

His

His autem, ſimilibuſque, quæ a computandi metiendique arte mutuari poſſumus, vel non perceptis, vel perperam uſurpatis, vel neglectis, frequenter contingit, minus defendi milites cum ab aëre, tum etiam ab hoſte. Ac ſæpe ſæpius illud propter ſimilium rerum ignorantiam uſu venit, quod plus defatigentur, ac labore laxentur victi, quàm victores. Atque equidem exiſtimo, in Turini Sabaudiæ obſidione plus laboraſſe, & graviora perpeſſos fuiſſe obſeſſos, & Hiſpanos, qui Duce Marchione *de Llganes* pluries tentarunt ſuccurrere ſociis amiciſque, quàm Galli ſub Duce *Monſieur de Arcourt*, qui non magno exercitu obſidebat Turinum (quod partium tunc erat Principis Thomæ) eratque ipſe viciſſim in ſuis munitionibus veluti obſeſſus ab Hiſpanis; quorum tamen ſpectabilis fuit in hac obſidione magnanimitas, qui, cum aliter non poſſent, omni occluſa via, adituque omni præcluſo, urbi ſuccurrere, per aëra & ſupra capita obſidentium Gallorum quæſita via, bombardis bellicis e proximiori colle ferreos orbes majores mittebant in urbem, tum quandoque aliis rebus, tum & frequentiùs ad bellicum pulverem conficiendum ſale petræ plenos. Pulvis enim bellicus jam omnis fere abſumtus fuerat ab obſeſſis. Sed hoc non multum præſtitit auxilii: &, præter pulverem, multa alia deerant obſeſſis, quæ non poterant per aëra tranſmitti. Quamobrem tandem ſeſe dediderunt Gallis.

At ſi in idem opus, quod omnibus ſit munimentum, & tutamen, tum ab hoſtibus, tum ab

aëre, non multi ſimul conſpirent; ſed in eo, quod pertinet ad munierdum caſtra, Ducum ſolummodo exſpectent ſententiam, & mandata exſequantur; in eo verò, quod pertinet ad ſe defendendum ab aëre, & ad conſervandam propriam atmoſphæram, ſinguli ſingulariter ſibi proſpiciant, res quoque non equidem eſt admodum difficilis. Enimvero quodcunque eſt, magis minùſve idoneum eſt ad prohibendum, ne circumpoſitus aër liberè nimis & efficaciter ad nos accedat. Apte congeſta terra, lapides, arbores, & tabulæ, quæ ex arboribus diffiſſis fiunt, rami frondeſque arborum, faſciculique ex iiſdem, herbæ cunctæ, vitatis tantùm paucis quibuſdam ex venenatis, faſciculique ex paleis, ex ſtirpibus, & ex herbis ſiccis, animalium pelles, telarum & pannorum quodcunque genus, & quodcunque aliud eſt, aptè diſpoſitum, aliquid præſtare poteſt ad defendendam hominis atmoſphæram. Atque equidem vidi non ſemel tuguria villicorum manu ex paleis, ſtipitibus fabarum, aliiſque, arborumque ramis, conſtructa, quæ meliùs defenderent hominem a caloribus, vel a frigore, & ab aëre nebuloſo, vel rorifero, quàm lapideæ domus, quæ, ubi ſemel vel incaluerint, vel frigorifera admiſerint corpora, diutiſſimè vel calorem, vel frigora ſervant.

Verùm ex iis omnibus, quæ jam ſunt enumerata, ubi exercitus non diu conſiſtit in uno eodemque loco, ſed de die in diem mutat ſitus, ut nova atque nova caſtra frequentiùs ponenda ſint, commodiores ſunt & magis expeditè auxi-

auxilium adferunt telæ pannique omnis generis. Sunt tamen ex his etiam alii aliis meliores, vel pejores, tum ad imbres arcendos a militis corpore, tum ad eundem militem ab aliis cœli inclementiis defendendum.

In telis autem, ſive pannoſis tentoriis expandendis ſtatuendiſque ea ſunt ſervanda, quæ ſuperiùs monui; videlicet, ut ea potiſſimùm parte præſidia hæc aptentur, quæ ventos noxios nebulaſque frequentiùs adducit, vel qua lacus paludeſque ſpectantur. Tendenda aptè ſunt, ne ſinus habeant, qui excipiant imbrem. Firmanda quâqueverſus, ne noctu de improviſo decidant. Subtus etiam prope ſolum vel aggere, vel ramis frondibuſque, faſciculiſque palearum, vel alia tela circum extenſa prohibendus aër eſt, ne illac liberè in tentorium intret.

Locus verò pro ſomno capiendo eligendus in tentorio eſt, qui minùs perfletur vento; ſtatuendumque aliquid ſupra terram ejus loci eſt, ſive tabula, ſive paleæ, ſive frondes foliaque ſicca arborum & herbarum, ſive aliud ſimile illud fuerit, quo haud immediatè corpus dormientis feriant reſpirationeque hauriantur halitus e tellure emanantes.

Sunt, qui dormituri pannis ſe onerent, caputque bene cooperiant. Quorum plerique, neſcientes quid faciant, ſic atmoſphæram propriam optimè defendunt a proximo circumpoſito aëre. Qui quidem ſi hanc habeant conſuetudinem, & nihil incommodi ex hoc accipiant, non malè ſibi conſulunt. Sed nonnulli non hoc ferre poſſunt, reſpirare tam in arcto, & reſpi-

rationem tam concluſam habere. Atque inſuper proprii halitus vaporibus quamplurimis ab ipſo corpore hominis dormientis emanantibus ſolent ſtrata humeſcere; & vapor ille perfrigeratus aëre nocturno extrinſeco in humorem cogitur: quod non eſt profuturum militum membris. Quibus minùs coopertis, & minùs pannis palliiſque oneratis poteſt melius eſſe: videlicet ſi linteum aptè expanſum habeant circa propria corpora, atque ea ratione, ut aliquod aëris ſpatium intercedat inter corpus oraque dormientis, & linteum. Reſpiratione enim aër ille, qui eſt linteo comprehenſus, quoque dormiens utitur, fit ſanè mitis, quantum opus eſt; & quantum ſatis eſt conſervatur linteo illo: quamobrem militi ex hac parte bene erit.

Atque equidem hoc, etſi paucis verbis expoſitum ſit, plus prodeſt, quàm ſi grave denſumque pallium ſuperimponatur immediatè cuicunque militum corpori. Cujus rei plures habeo experientias. Meminique matrum quamplurimarum, quæ, neſcio a quo primùm edoctæ, optimè ſic pueris conſulunt dormientibus. Neque linteum tam latum magni pretii eſt: nam uno vel altero floreno dubio procul facilè haberi poteſt; ac frequentiſſimè opportunitas datur auferendi ab hoſtibus hæc, & alia multa, quorum militi magnus ſit uſus: præter quàm ex conſutis ſimul aptè induſiis aliorum, qui non ampliùs illis indigent; vel ſtoreis, quæ quibuſdam herbis conficiuntur, eadem commoda miles facilè poterit conſequi. Et quidem ſtorearum magnus in his ſimilibuſque, quæ perti-

nent

nent ad defendendum militem ab aëre, eſſe poteſt uſus; ac facilè ubique locorum materies reperiri poteſt ad ſtoreas ex herbis conficiendas. Neque res ardua eſt, quæ non manibus fieri poſſit cujuſcunque gregarii militis.

Illi, qui præter tentoria currus etiam habent, multò ſane faciliùs ſibi & alicui ſocio conſulere poſſunt. Currum videlicet ſtatuentes intra tentorium, eundenque utcunque circum undique cooperientes: id enim faciliùs fit, ipſa currus conſtructione, & forma opus adjuvante. Ac præterea in curru dormiens homo locum neceſſariò obtinuit rotarum beneficio a ſuppoſita terra ſufficienter remotum; nec non etiam corpore inſidebit ligno, ex quo currus conſtat; non terræ, non lapidi, in quibus non levis differentia eſt. Et curruum quidem variæ ſunt ſpecies, quarum alia aliis eſt ad hæc commodior.

At ſive in tugurio locum quis ſibi eligat ad tutiùs capiendum ſomnum, ſive in tentorio, vel currum etiam adhibeat, ignis quoque utilis eſſe poteſt uſus ad purgandum aërem illius loci. Et quidem currus tela vel pannis undique muniti aër, ſi res exigat, ſatis temperari & moderari poteſt levi igniculo unius vel alterius lucernæ: cujus profectò non exigua vis eſt in loco maximè anguſto & concluſo. Quod ſi quis peculiarem aliquam habeat in ſe cauſam, poterit levi fumo rei appropriatæ eundem illum aërem inficere.

Plura ſupereſſent dicenda, ſed gravius viſum eſt fore militi, rem iſtam in longum ſermonem

I 3 pro-

protraxiſſe, quàm nonnulla omiſiſſe; maximè cum totius ferè rei ſumma paucis poſſit exponi. Videlicet inquam, rem univerſam potiſſimùm conſiſtere in propriæ atmoſphæræ tuitione; & id maximè proficuum eſſe, non quidem palliis ſe oneraſſe, ſed, quantum opus eſt, prohibuiſſe communicationem inter aërem, qui circa corpus hominis eſt, & proximum circumpoſitum aërem, quicunque is fuerit. Idque feris quæſitum eſt, dum ſpecus quærunt, & dum tanas anguſtas ſibi effodiuut.

CAPUT V.

Quæ conveniant militi experrecto.

NIſi miles ſub noctem veſtimenta depoſuerit in loco, qui ſit ab imbre, a nebulis, vel a rore, tutus, aliquando mane experrectus inveniet illa humore gravia; atque iiſdem hac ratione uvidis indutus, facilè vel ipſa eadem die, in qua id accidet, vel ſequenti, haud leviter ægrotabit. Sed id rariſſime contingit, vel quia miles, nequid ipſi ſurripiatur, veſtibus pro pulvinari utitur, vel quia ferè ſemper, ut promtior ſit in quamcunque occaſionem, veſtibus omnibus, & calceamentis etiam, indutus ſomnum capit. Ac ſi experrectus fortè, quoniam propriæ atmoſphæræ rationem non habuit, veſtes ſentiat extrinſecùs ſaltem imbre, vel rore, vel nebula, humidas, hoc minimum malorum, quæ ipſi nocte illa facta ſunt, habendum eſt. Nam illi, qui neſciunt veſtes defendere ab humido

mido aëre, utplurimum etiam in reliquis ſolent peccare; & utplurimum neque ejus aëris rationem habent, qui circa faciem eſt, ſed nudi facie, ſive nihil præſidii habentes circa faciem, aëre utuntur in reſpirationibus nebuloſo, vel rorifero, vel alio quocunque, quem ſors, fortuna & caſus ferat. Quod multò magis nocere poteſt, quàm extrinſecùs aliquando humidas veſtes habere.

At ſi nihil iſtorum contingat, & circa corpus ſuum non contaminari nocte aërem ſtudeat miles; attamen, pluribus diebus noctibuſque non unquam depoſuiſſe veſtes, ſed indutum, veluti vigilantes facimus, ſomnum habuiſſe, obſtructiones quidem facit pororum cutis. Ex quo quamplurimi morbi caſtrenſes ortum ducunt. Nec non illa eadem de cauſa ſordes, & animalia bonum ſanguinem ſugentia, multiplicantur militi.

Non equidem ego unquam ſuaſerim, militem debere veſtes deponere, dum eſt noctu dormitum iturus; niſi fortè multis concurrentibus, quibus hoc tutò fieri poſſit. Quin in his etiam caſibus ea forma & figura indumenta vellem conſtructa, quæ facilior eſt, ut illa deponantur citò, & ut non multa cum temporis jactura iiſdem induantur milites. Verùm quædam animadvertenda ſunt, ne miles, qui longam conſuetudinem non habet veſtibus indutus ſomnum capiendi, ex hoc capite lædatur.

Is mane experrectus, vel alia quacunque commodiori hora, in qua vacet ab opere, ter quaterque, aut pluries, in hebdomada, non quidem

dormitum iturus, ſed per vigiliam debebit deponere veſtes, & corpus ſuum, maximè crura, & brachia, & dorſum, diutulè perfricare & cutis poros adaperire; nuduſque corpore in loco ſicco, non perflato a ventis, aliquantulum, veluti in lucta fieri ſolet, ſeſe exercebit. Hac enim ratione tum tutus erit ab iis, quæ imminent mala propter prohibitam corporis tranſpirationem (quæ neque levia, neque pauca ſunt), tum etiam corpore agilior & promtior erit ad quodcunque opus.

Poſſem hæc confirmare rationibus quamplurimis, & exemplis ab antiquitate deſumtis, quæ veſtes habuit facilè ſumendas & facilè deponendas; & balnea, & gymnaſia habuit, in quibus homines frequenter corpore exercerentur. Sed is miles, qui experiundo utilitatem non mediocrem ex iis, quæ dixi, in actum deductis percipiet, non indiget rationibus & exemplis, ut veritatem amplectatur.

Ad enecanda verò animalia bonum ſanguinem ſugentia militi, non parùm confert hæc ipſa corporis perfricatio depoſitis veſtibus. Ac præterea ſunt ad hoc multa alia magis minùſve tuta. Ex his verò cavenda ſunt, quæ ab agyrtis venduntur, mercurium haud ritè præparatum, vel in magna quantitate habentia: nam hæc poſſunt nocere quam maximè, totumque corpus copioſa ſalivæ effuſione, aut aliter perquàm vehementer turbare poſſunt.

Tutum autem eſt, tabaci ſicci folia in parva vini quantitate infudiſſe, & petia in hujuſmodi vino madida corpus perfricare & mundare. Odor enim tabaci multa animalia immunda, quæ

in

in corporibus hominum aluntur, brevi enecat.
At ſi cui non placeat tabaco uti, poterit millefolium ex agris colligere, eoque corpus perfricare; vel aliquo utetur his analogo.
Quòd ſi nox non fuerit proſpera, & nebuloſo vel rorifero aëre quis per ſomnum eſt uſus, ea debebit ſervare, quæ capite tertio dicta ſunt, & iis uti.

CAPUT VI.

De effluviis a cadaveribus & ab excrementis emanantibus.

QUoniam ea, quæ e corporibus putreſcentibus animalium mortuorum emanant, aëri, qui ad conſervandam hominis vitam ſummè eſt neceſſarius, permiſcentur, atque ſic contactu, maximè per viam reſpirationis, non parùm nocent; aliquid etiam de his dicendum eſt, quo inſectorum copia, militi & equo perquam moleſta, eodem tempore prohibebitur.
Sed fortè aliquis, non contentus eo, quod ipſe jam novit, expedire putreſcentia omnia in terra ſepelire, nova aliqua hic exſpectat legere. Nam ſæpenumero accidit, faſtidire hominem faciliora malorum remedia &, aliud atque aliud ſtulté quærendo, ſpernere ea, quæ promtiora habet. At illud aliud, quod quærunt homines, utplurimum vel non invenitur, vel difficiliùs comparatur, vel, etiamſi habeatur, nonnunquam minùs aptum eſt ad id, quod conſequi volumus.
Cujus rei multa poſſem adducere exempla,
 for-

fortaſſis non placitura quibuſdam principibus, qui neſcivere proprio ſtudio & induſtria veluti fatum quoddam effugere, aut ſaltem declinare, quo circulatoribus & impoſtoribus ſemper debeant eſſe obſeſſi.

Turcas audivi foveis alvi excrementa condere, & ſic munditiei ſtudere. At ſæpe noſtri non parcunt tentorio Generaliſſimi, ſed ubicunque reperiuntur, veſicam, vel alvum exonerant.

Verum, ut obſervatum eſt in Viennæ obſidione, Turcæ ſepeliunt quidem corpora ſociorum, ſed neque inimicorum, neque equorum, neque aliorum animalium ſepelire curant; & neſcio quidem, qua ratione id omittant.

At apud pleraſque gentes ex noſtris obſcœnum nefandumque eſt, mortuorum equorum, vel canum, vel aliorum brutorum animalium, cadavera contingere; & turpius eſt nonnullis in locis, mortuum equum, vel canem mortuum, tetigiſſe, quàm furatum eſſe. Non ejus conſuetudo & familiaritas turpis eſt & indecora, qui furari ſolitus ſit & in furto ſit deprehenſus; cum omnino turpis, inhoneſta, & vitanda cenſeatur conſuetudo ejus, qui canem baculo, aut lapidis ictu, enecaverit, canem vel equum mortuum tetigerit, & eò magis, ſi humaverit, vel ſellam, lora, fræna, aut aliud quodcunque ornamentum, mortuo equo detraxerit. Ac de nonnemine narratur, qui aliquid ex his caſu aliquo, vel per imprudentiam fecerit, quod illi diſcedendum fuerit ab hac urbe, ne tantam pateretur ignominiam.

Quam-

Quamobrem non ſemel factum eſt, mortuo in caſtris equo prope tentorium alicujus Ducis, vel prope ambulacrum quodpiam, relictum fuiſſe ibi computreſcere corpus, non ſine magna in prætereuntibus ſenſuum omnium moleſtia.

In iis autem regionibus, in quibus nulla adeſt in his obſcœnitas, vel turpitudo, detrahuntur pelles equo, cani, feli, aliiſque animalibus mortuis. Poſtea vel cadavera deferuntur in loca remotiora, in quibus effluvia non noceant, ſintque cadavera avibus, canibus & lupis eſca; vel ſepeliuntur in arena, vel terra; vel projiciuntur in mare, aut in flumina, ut cedant in piſcium cibum. Pellibus autem utuntur diverſimodè non ſine magna utilitate. Ac quidem tanta fuit mortuorum equorum in caſtris Budenſibus multitudo, ut coria potuerint multa millia florenorum æſtimari. Dicuntur enim mortui in illa obſidione circiter quinquaginta millia equorum. Quorum tergoribus ſi qui ſapienter fuiſſent uſi, in multis humanæ vitæ miſeriis magnum levamen habere potuiſſent.

Non minima artium, quibus populi reguntur, videtur illa, qua hominum animus veris, vel etiam vanis, opinionibus movetur, & ad facinora quæcunque impellitur. Quòd ſi non videatur e re, mortales decipi, opus eſt vanis opinionibus liberare hominum mentes: & quandoque licitum eſt, pro veris vanas opiniones infundere, dummodo aptè fieri poſſit. Id tentatum non raró eſt a pleriſque Regibus, & experimentis probatum non ſemel eſt. Sed doctrina

iſta

iſta non videtur pro milite! Attamen quicunque gregarius miles ſperare debet, virtute ſua aliquando in Ducem evadere poſſe.

Poſſem hoc loco Regem referre ſapientiſſimum, qui vanas, temerarias crudeleſque, & impias circa duella in regnis ſuis opiniones delevit & antiquavit; ſanctas ſententias inſinuavit & ſervari mandavit: quive bellicoſiſſimarum gentium, quibus imperat, ſumma dexteritate & felicitate moderavit temperavitque timores, ex cauſa nonnullarum ſanctionum, quæ religionem videntur tangere, vel religionem videntur ſapere.

Atque hæc quidem ſatis ſuperque eſſe debent iis, qui intellectum habent.

PARS

PARS QUARTA.

De præſervando milite a ſpecialibus quibuſdam morbis frequentioribus in caſtris.

QUanquam hactenus, generales cauſas inſpiciendo, methodum tradiderim, qua miles in caſtris poſſit a morbis eſſe immunis; ſpecialiter tamen nonnulla ſunt addenda, quibus idem ab iis affectionibus præſervetur, quæ ſolent in caſtris eſſe frequentiores. Hujuſmodi autem ſunt dyſenteriæ, & diarrhœæ, petechiales febres, & quartanæ, atque tertianæ, capitis dolor, dolores articulorum, tuſſes, ſpirandique difficultates, viſcerum obſtructiones, & tumores in infimo ventre, aliæque ſimiles.

Verùm quoniam haud omnibus in locis iidem omnino ſunt morbi caſtrenſes, neque in una eademqne regione ſingulis quibuſvis annis ſimiles omnino ſunt affectiones (ut in Hungaria, in Auſtria, in agro Romano & Neapolitano, non ſemel compertum eſt); ac cum arduum & operoſum nimis ſit, de iis omnibus ſingulariter agere, quæ ubique locorum & quibuſcunque temporibus accidere poſſunt: operæ pretium erit, primùm regulam dare, quæ poſſit ferè omnibus iis accommodari, qui ab aliquo determinato morbo velint eſſe præſervati.

CAPUT I.

In quo quæritur, ut quis a determinato aliquo morbo poſſit præſervari.

INter morborum genera omnes, quorum nunc memini, repletionem, inanitionemque, poſuere, & alterum altero curari voluerunt, quin etiam alterum altero prohiberi, ſive præcaveri. Nam vel nunquam, vel rarò contingit, in temporis inſtanti repletionem fieri, quæ morbus ſit. Atque ideo ſi ante, quam ad hoc deveniatur, inanitio accidat, morbus ille, quem minabatur inchoata repletio, prohibetur. Sic e converſo de inanitione dicendum putant.

Verùm etſi genera hæc quamplurimos morbos comprehendant, non eos tamen includunt, qui in ſubſtantiæ modis conſiſtunt, ſuntque iis, qui ex plenitudine vel inanitione fiunt, longè plures. Ac ajebat Joannes Baptiſta Capuccius, quòd, ſi quis brevitati ſtudens hos etiam omnes, vel ferè omnes, duobus tantùm generibus velit comprehenſos, poſſet dicere morbos omnes, & quicquid boni vel mali tractant medici, additione vel detractione fieri, vel factum eſſe, ac item additione vel detractione ceſſare, vel prohiberi, morbos. Quæ qnidem genera continent repletionem inanitionemque; ac inſuper ſubſtantiæ comprehendunt modos. Nam quicunque modi corporis, qui ſub imaginationem cadunt, magnitudinem quandam habent, cui addere vel detrahere liceat, & additione vel

vel detractione in magnitudine modorum multas ſuſcipiunt ſubſtantiæ novas, variaſque, formas.

Exempla varia ponebat, quibus hoc confirmaret. In motu, ajebat, conſiderare poſſumus velocitatem, quæ ſemper magis, vel minùs ſuſcipere poteſt: ut, ſi morbus conſiſtat in velociori alicujus ſtubſtantiæ in animali motu, detractio ex illa velocitate ſit remedium illius morbi: ſic etiam e converſo. Vel ſi morbus conſiſtat in figura, mutatio apta ſitus atque ordinis partium corporis ſanabit hominem. At hoc aptè mutare idem eſt, ac alicubi apte detrahere, & alibi hoc ipſum addere, quod detractum eſt; ſive idem eſt, ac tranſponere. Quo quæcunque figuræ mutantur ex una in aliaś, ſive magis, ſive minùs, commodas. Item ſi malum dicatur conſiſtere in ordine mutato partium, detrahendo, vel aptè addendo, ceſſabit ille: ſic ajebat de aliis pleriſque.

Cum autem ſciſcitarentur juniores, quodnam ex illis medico facilius eſſet, convenienter addere, an convenienter detrahere? Reſpondebat, in pleriſque difficiliorem ſibi videri additionem, quæ ferè ſemper abſolutè ſolius naturæ opus eſt: cum detractio tum ſæpe ſæpius ipſius naturæ ſpontè non unica via fiat, tum non raró medici prudentia, conſilioqve, & manu, multoties non parum adjuvante naturam, fieri queat.

Verùm affirmabat, aptam & laudabilem detractionem in pleriſque occaſionibus eſſe quoque difficilem nimis; ac frequentiſſimè ignora-

re

re medicos mali quicquam detrahere, abſque eo quod non ſimul aliquid boni detrahant; & nonnunquam, cum multum atque multum evacuent, nihil omnino detrahere mali. Quod quidem parte non exigua cognitum etiam fuit atque eſt medicis ferè omnibus, qui non ſolum in aliis pharmacis, ſed in medicamentis etiam vel alvum ſolventibus, vel vomitum excitantibus, vel ſalivationem ſollicitantibus, vel ſudores promoventibus, vel urinas cientibus, aliiſque ſimilibus, ſpecifici quidpiam multoties quærunt, quod proprium dicunt morbi, quem tractant, remedium.

Enimvero obſervaverunt, non æquè eſſe in morbis, quocunque medicamento vel alvum ſolutam habuiſſe, vel vomitum ægrotanti fuiſſe provocatum; neque idem omnino eſſe, hoc vel alio quocunque medicamento ſudores, vel urinas, promoviſſe: ſed longa experientia viderunt, eſſe aliquid alio potius ad morbum aliquem depellendum.

Ac differentia iſta non equidem conſiſtit in majori tantùm vel minori copia ejus, quod educitur. Nam pluries obſervatum eſt, in morbo gallico exempli gratia plus profuiſſe parcam evacuationem ex colocynthide, quàm copioſam ex manna, vel roſis: videlicet medicamentis purgantibus non æquè movetur id, quod nocet animanti; ut neque ex quocunque pharmaco, qui ſuperſunt in corpore humores, æquè aut ſimiliter alterati remanent. Atque hoc eſt non ſolùm in aliis medicamentis, ſed etiam in iis, quæ via aliqua evacuandi vim habent, non

raro

rarò ſpecifici quidpiam nobis deſiderandum eſſe. Aliquando autem nulla in his neceſſaria eſt ſolicitudo: nam ſæpe ex multis mutationibus poſſibilibus ab eo ſtatu, in quo morbus conſiſtit, quæcunque contingat, affert ſalutem.

Ex his quærebant omnes, in quo vis conſiſteret ſpecificorum medicamentorum? Neque conveniebant ad invicem. Alii enim affirmabant, illam conſiſtere in primis; alii in ſecundis qualitatibus eandem ponebant; alii neque primis, neque ſecundis, neque tertiis, contenti erant.

Et ex his aliæ naſcebantur quæſtiones de temperamentis. Ac plerique exiſtimabant temperamentum unumquodque conſiſtere, non equidem in quatuor qualitatum, quas dicunt primas, permixtione; ut neque in duorum, vel trium, ſecundùm nonnullos; vel quatuor, ſecundùm alios; aut in quinque, vel plurium elementorum peculiari unione, & permixtione, ut aliis placet; ſed in ipſa ſtrue, ſive ſtructura, in ipſa compoſitione, congregatione, coordinationeque partium corporis, cujus dicitur temperamentum.

Atque hujus ſententiæ referebant fuiſſe Hippocratem quondam. Ac proinde rectè Galenum non ſemel pronunciaſſe, vires plerorumque pharmacorum ſive utiles, ſive noxias, non quidem in calido, frigido, humido, vel ſicco conſiſtere, ſed pendere a tota ſubſtantia. Cujus quidem cum plerumque occulta ſit homini ſtructura, occultis etiam qualitatibus, ſive facultatibus (res enim aliquo nomine denotanda fuit) vires plerorumque pharmacorum, ingenua confeſſione,

non ſemel idem Galenus conſiſtere affirmavit. Qua ratione aſſerebant, horologium, & quodcunque aliud mechanicum, proprio gaudere temperamento. Nam quicquid eſt, peculiarem quandam habet partium ſtructuram coordinationemque, ex quibus peculiaris aliquis in natura naſcitur effectus, qui dici poteſt proprius illius rei, & a proprio naſci illius ejuſdem rei temperamento, hoc eſt, ſtructura & compage partium.

At Capuccius multa adducebat exempla, quibus facilius ſit vires concipere ſpecificorum medicamentorum rationemque indagare, qua aliquid aliquo ipſorum fiat, quod non fiat altero. I. ajebat, ſi tenax pix, vel terebinthina, membro adhæſerit, ac velimus illam auferre, ſpecificum erit non aqua, non vinum, non mercurius, ſed oleum. II. ſi concretum corpus ex ſale & terra compactum habeatur, ac velimus terram diſſolvi dividique in ſuas atomos; non equidem mercurius, aut oleum, ad hæc aptiſſima ſunt, verùm ſpecificum illius diſſolutionis erit aqua. III. ſed ſi aureus pulvis ſeparandus ſit a terra, ſpecificum erit mercurius; vel ſi argentum ab auro ſeparare velimus, ſpecificum erit aqua fortis. IV. ut omnia ex oppoſito, ac ſunt, perſpicere valeamus, ſpecificam ad hoc virtutem habebunt vitra convexa, vel concava. V. apud omnes artifices multa oſtendebat inſtrumenta ſpecificam virtutem hahentia ad aliquod peculiare opus. Ac bonos artifices ajebat cognoſcere virtutes ſuorum inſtrumentorum; & alio uti, cum volunt incidere; alio, cum ſecare;

re; alio, cum inſculpere volunt; alio, cum conjuncta dividenda ſunt; alio, cum disjuncta ſunt conglutinanda. Eoſque affirmabat omnium artium rudes & incapaces, qui ſimilitudines ſpernebant a mechanicis deſumtas. Enimvero, ajebat, nihil mechanicum eſt ſupra, vel infra naturam; hoc eſt, omnia, quæcunque mechanica ſunt, in naturæ limitibus comprehenſa eſſe.

Ego autem hæc retuli, non ſolum ut hac illac in tanta ſententiarum varietate ſemitam aliquam adaperirem militi, qua, quantum humana natura patitur, poſſit in caſtris a morbis præſervari; verùm etiam ut illi manifectum facerem, doctrinam plerorumque tum philoſophorum, tum medicorum, multas imbecillitates habere in fundamentis & in principiis: ac eorundem nonnullos non paucis quæſtionibus eſſe valde intricatos, de quibus æternùm diſputent nullam invenientes rectam ſolutionem; quoniam non cognoſcunt falſitatem hypotheſis, quam faciunt de naturæ principiis; & non animadvertunt eorum, quæ ponunt, futilitatem.

Cæterùm, niſi quis abſolutum ſibi expoſcat opus, in quo omnia minutè doceantur, quæ pertinent ad tuendam hominis ſalutem, non mihi videtur difficilis regula, qua quis a peculiaribus quibuſdam morbis præſervetur. Vel ſaltem regulam dico nos invenire poſſe, qua ſervata, homo prudens, & diligens ſanitatis ſuæ cuſtos, & defenſor dici mereatur; etiamſi poſtea aliquod ipſi incidat morbi infortunium: nam illum aliquando non ægrotare,

vel omnino impoſſibile, vel ſaltem difficile adeo eſt, ut pro impoſſibili accipi debeat.

Regula autem, ſive via, qua quis præſervetur a peculiari quopiam morbo, eſt uno vel: pluribus eorum uti, quæ ſpecificam vim habent adversùs illum morbum, iis vitatis, quæ ſunt efficaciora & corpus valent nimis perturbare: nam his non indiget integer homo, quem nos volumus præſervare a morbis.

At efficaciora appello, quæ vomitum vehementiorem poſſunt concitare; quæ alvum ſolvere apta ſunt; quæ largè nimis urinas, vel ſudores, vel ſalivationem promovent; ſternutatoria validiora; quæ vaſorum quorumcunque, quacunque via apertione facta, vel ulcerum inuſtione, & veſicantium applicatione, ſanguinem alioſque humores fundunt; quæ ſomnos conciliant profundiores; & alia quæcunque vehementia & ad perturbandum corpora valida nimis. Quorum omnium etſi magnus eſſe poſſit in medicina uſus, meo tamen judicio nequaquam cuique proprio ingenio iisdem uti licere debet; ſed peritis artium expertiſque multa determinatu difficiliora ſunt permittenda, qui etiam in his determinandis frequenter errant.

Si qui ſciunt vomitu juvari, ſatis habent digitis, vel complicata charta, vel folio aliquo arboris vel plantæ non venenoſæ, fauces ſtimulare. Nam his facilè pleriſque movetur vomitus, maximè ſi priùs largiter biberint: ut crapulæ deditis non ſine operæ pretio contingit;

git; ſed meliùs tamen fuiſſet abſtinuiſſe a crapula. Vel, etiamſi illa induſtria vomitus non moveatur, tamen conatu illo multa aperiuntur in ore, in faucibus & in œſophago, & aliquid aliud fit, quo pleraque illarum partium & ventriculi vitia emendantur.

Si alvus alicui conſueto adſtrictor ſit, ſatis erit, utcunque illam aliquantulùm ſolicitaſſe ſuppoſitorio ex butyro ſalſo, vel ex caſeo, vel ex larido ſalſo, vel ex felle ſuis aut bovis exſiccato, vel ex ſapone duriore, vel ex fermento triticeo adjecto ſale, vel ex aliis quibuſcunque his ſimilibus. Vel ad ſummum, huic malo ut occurratur, ſatis erit clyſtere in inteſtinum rectum infudiſſe aquam parùm ſalſam adjecta pinguedine aliqua. Sunt, qui familiare aliquid habent per os ſumendum, quo ipſis venter faciliùs exoneretur; eoque uti poterunt: cujuſmodi eſt cocta beta, vel malva, vel paſſulæ coctæ in aquis, vel cremor tartari ex jure, vel vinum, aut acetum ſennatum, vel pulpa caſſiæ, vel quid aliud ſimile.

At ſi quis exiſtimet, parciores ſibi eſſe urinas, voti compos erit petroſelini apiique in cibis uſu; vel bibet in ſcypho fraxineo; vel aquam bibet, in qua fraxini, vel pini cortices, vel ligna eorundem contuſa fuerint infuſa; vel quid ſimile omni vacans ſuſpicione uſurpabit. Sunt etiam, quibus ſatis eſt ſuccus limonis, juri vel aquis permixtus, maximè ſi bilis efficacior moderanda ſit. Quibusdam ſatis eſt ſal prunellæ ad ſcrup. 1. vel pulvis pyrius ad eandem quantitatem.

Quantum ad promovendam eam evacuatio-

nem, quæ per cutis poros fit, ſatis eſt corpus diverſimodè exercere. Ac quidem nunquam deeſt homini occaſio corpus ſuum exercendi. Sed ſi omnes deſint militi occaſiones, nunquam deeſt occaſio ſeſe exercendi, ut promtior & agilior ſit ad quodcunque opus militare; & ut rectiùs celeriùſque armis uti ſciat; rectiùs, & graviùs, & breviori tempore, inimicum ferire valeat; & ut cunctis occurrere eodemque tempore veluti præſens multis in locis eſſe poſſit: quæ omnia magni momenti eſſe ſolent in bello.

Ita pariter ſufficit, ad promovendam ſalivam, inferiorem maxillam, qua licet, movere, linguam per os frequenter circumagitare, & fauces, ſi lubet, aliquantulùm digito moleſtare.

Similiter dicere poſſem de iis, quæ per nares, & per radices naſi anfractuſque varios illarum partium meant: videlicet quod, abſque ulla ellebori albi aut alterius validi medicamenti neceſſitate, ſufficiat per intervalla nares emungere; vel folium betonicæ, aut ſalviæ, aut majoranæ, intra nares detinuiſſe. Omitto tabaci uſum: nam facilè ex recto ejus uſu homines gradum faciunt ad luxuriam quandam, continuò pulveris tabaci per nares ſumendi. Non tamen omitto, vel nares vellicando, vel ſemiclauſis oculis ſolem aſpiciendo, plerumque abſque alia induſtria ſatis nos habere moleſtiæ, ut ſternutatio nobis fiat.

De auribus nihil monui; quoniam cerumina, quæ in auribus colliguntur, ſunt ſanè ferè omnibus hominibus in exigua quantitate, ut meritò

ritò omittatur illorum conſideratio. Sed ſi tenui ſcalpello auferantur, perpurgenturque aures, aliquid etiam liberiùs per illas partes permeabit, quo homo ab aliquibus malis faciliùs præſervetur.

Item etſi frictiones univerſales, vel membri particularis, non id omne præſtent, quod comburentia & veſicantia medicamenta (quæ etiam in caſu noſtro non habent locum; quoniam non agimus de ægrotantibus jam hominibus, ſed de iis, qui ſibi timent ab ægritudinibus): attamen quæ longiori tempore durant, & ſæpius repetuntur, & quæ aſperiori panno, vel alia meliori ratione, fiunt frictiones acriores, ſive ad morbos curandos, ſive ad morbos arcendos vel propulſandos, non ſunt equidem contemnendæ.

Somnus autem iis, qui moderati in cibo & potu eſſe conſuevere, facilè, & tutò, jucundèque, conciliatur alterius poculi præter conſuetudinem hauſtu. Eſt portulaca, eſt in jure cocta lactuca, ſunt & alia multa, ſomnum quæ valeant conciliare: non attigendo ſoporifera graviora, niſi cum in majore ſomni capiendi neceſſitate diligens peritus juſſerit.

His autem ſic præmonitis, ante, quam ad morbos in caſtris frequentiores deſcendamus, non abs re erit hic exempli loco aliquem alium ex aliis morbis afferre, & normam tradere, ut quis ab eo præſervari poſſit; ac primùm de apoplexia.

I. Si quis non abutatur robore virtutum ſuarum; & in cibo & potu parcior potiùs ſit, quàm liberalior; omneſque meatus corporis

ſui ſtudeat eſſe apertos, & fluere omnia per ſuas vias, & corpus bene tranſpirare conetur, ut ſupra dictum eſt; ac inſuper roremarino, ſalvia, pulegio, ruta, baccis lauri, caſtoreo, caryophyllis, ſimilibuſque, adversùs apoplexiam ſpecificam vim habentibus, familiariùs utatur, utique difficulter apoplexia laborabit.

Uſus autem prædictorum medicamentorum, aliorumque ſimilium, (non enim, quia non alia refero, credendum eſt, me ſpernere alia medicamenta; ſed quòd non omnia hic conſarcinanda fuere) eſt varius, & varia quidem ex illis diverſimodè parantur, quæ tum extrinſecùs applicari, tum per os ſumi poſſint. Exempli gratiâ roſmarinus poterit ore detineri, & maſticari; fumo ejusdem poterit aër, quo utitur homo, non ſemel alterari; ejusdem pulvis cibis, & præcipuè carni aſſæ, poterit aliquando ſuperinſpergi; guttulæ tres, quatuorve, olei ex eodem deſtillatione parati poterunt ex jure ſumi; vel elæoſaccharo roriſmarini ad grani piperis magnitudinem per intervalla quis utetur. Quod ſi ſpiritui vini puriſſimo infundet flores comaſque rorismarini, & tum internè ad paucas guttas, tum externè illinendo nares & palatum guttis ejusdem ſpiritus, aliave ſimili ratione, utetur, jure non habebit, qui multum iis, qui aquam in univerſa Europa famoſiſſimam Reginæ Hungariæ uſurpant, invidere poſſit.

II. In populari pleuritide, quæ Venetiis, ut meminimus in præfatione, multos enecavit, præter generalia ſuperiùs expoſita, & majorem totius

totius corporis & pectoris potiſſimùm, additis pluribus indumentis, cuſtodiam, potuiſſet aliquis, ut præſervaretur, aërem rigidiorem tum domi, tum extra domum, vitare: quod pulchrè quibusdam, etſi non animadvertentibus, tempore carnis *privii* factum eſt; dum caput, oraque & colla ſerico panno cooperti antiqua ludendi conſuetudine gaudentes incederent. Ac inſuper aliqua ex iis potuiſſet uſurpare, quæ magis probata ſunt, vim habere adversùm pleuritidem. Cujuſmodi ſunt flores papaveris erratici, oculi cancrorum, dens apri, cornu cervi, maxilla lucii piſcis, ſanguis hirci, fimus equi, thus, poma dulcia parùm excavata thuris grana intus habentia & ſic excocta ſub calidis cineribus, carduus benedictus, chamomilla, & alia multa, quorum varius eſt uſus, variaque præparandi methodus. Exempli gratia flores papaveris ſiccati in pulverem rediguntur, ac pulvis permiſcetur ovis conquaſſatis, quæ in ferventi butyro coquuntur; vel idem pulvis accipitur ex jure; vel flores ſaccharo condiuntur, ut fit de boraginis floribus; vel ſuccus exprimitur, fitque ex eo ſyrupus; vel tinctura extrahitur cum aqua communi, vel cum aqua hordei, vel meliſſæ, vel alia. Liquor etiam, qui deſtillatione prodit ex aloë, croco, & myrrha ad unc. 1. in aqua card. benedict. ad libr. 2. priùs ſimul infuſis, atque aliquo tempore digeſtis, nimiùm conducere potuiſſet: ſumto videlicet liquore ad cochleare unum vel alterum matutinis horis. Deſtillatio autem leni igne urgenda eſt uſque ad proximam ſiccita-

tem, alias poſtea liquor erit nimis ingratus. Profuiſſent ſexcenta alia.

III. Si quis, ſibi timens a recenti impuræ veneris contactu, partes, quibus tetigit morboſam venerem, aqua abluet, in qua alumen, vel potiùs vitriolum, fuerit diſſolutum, erit immunis. Sed ſi contactus non fuerit recens, utplurimum non equidem id ſufficiet.

IV. Sic de aliis pleriſque morbis ſimiliter dici poſſet.

Atque equidem ego hujus ſum ſententiæ, multò faciliùs eſſe malum aliquod avertere ab homine, quàm hominem ſanare ab illo eodem malo, poſtquam illud factum fuerit. Cumque laudem Sanctiſſimi Patris Innocentii XI. pietatem, qui Xenodochium inſtituit in Hungaria, in quo milites a morbis curari poſſint; laudem Reverendiſſimi & Excellentiſſimi Dom. Domini Leopoldi S.R.I. Comitis a Kolloniz, Epiſcopi Jaurienſis ejuſdemque Comitatus Supremi Comitis, S. Joannis Hieroſolymitani Ordinis Equitis, & Commendatoris in *Egher*, & *Mainlbergh*, magnanimitatem larga manu multùm opus hoc adjuvantis; aliorumque laudem in his diligentiam; multò tamen utilius & præſtantius exiſtimo, in iis ſedulò inſudare, quæ magis expedire videbuntur, ut miles a morbis præſervetur.

Quod ſi dicatur, fruſtra nos ad præſervandum hominem a pleriſque morbis medicorum operam, conſiliumque, implorare; ego aſſeveranter affirmabo, in ſanando eodem homine ab illis iiſdem morbis non ſolum fruſtraneam & inutilem eſſe

eſſe nonnullorum medicamentorum operam, verùm etiam vana eſſe eorundem conſilia, ac nonnunquam pernicioſa. Poſſem, figmenta plerorumque falſaſque doctrinas examinando, ſermonem præſentem ampliare; ſed, ne videar in quempiam invehi, modò concedatur facilius & utilius eſſe præſervare militem a morbis caſtrenſibus, quàm ab iiſdem illum perſanare, libenter abſtinebo a pluribus.

CAPUT II.

De præſervando milite a dyſenteria.

QUanquam multa atque multa ſint remedia, tum ſimplicia, tum compoſita, quæ adversùs dyſenteriam præſcribi poſſunt; attamen, quia neque expedit, neque facilè eſſet, omnia hic enumerare, ſimpliciora, & quæ minoris veneunt, & quæ tutioria, & quæ magis probata ſunt, in medium adducam. Cumque ſciam, unumquemque proprio abundare ingenio, & pleroſque in omnibus humanis negotiis ea magis probare, quæ aliis vicibus ab ipſis uſurpata fuere, etſi fortè minùs bona, libertatem omnibus concedo alia, addendi, & alia atque alia uſurpandi. Illi autem, quibus nihil peculiare adversùs dyſenteriam cognitum eſt, his, quæ referam, uti poterunt.

Sunt autem illa Abrotanum, Abſinthium, Mentha Criſpa, Mentha Romana, *Frauen-Münz*, Tormentillæ radix, Rubi idæi fructus & radix, Nuclei pinearum, Nux moſchata & flores

flores ejuſdem, Gammari, Lepus, & alia multa.

Abrotanum autem & abſinthium in parva quantitate tum per os ſumi poſſunt, tum extrinſecùs applicata ventri; vel, ſæpius olfaciendo & detinendo illa inter manus, ventris fluores arcent. Poſſunt etiam vel conjuncta, vel diviſa, uſurpari, & infundi exempli gratia in vino bonæ qualitatis, vel in aqua; & aliquid poſtea ſive vini, ſive aquæ, bibere. Quod ſi abſinthium fuerit ponticum, non erit quidem nimis ingrata potio. Ex abſinthio conficitur conſerva (poteſt etiam illa confici ex abrotano), cujus bis in hebdomada, ſi videbitur, ad nucis juglandis minoris quantitatem aliquid ſumi poteſt mane; & poſtea vel jus, vel aliquot cochlearia ferventis aquæ, poterunt ſuperbibi. Conficitur etiam ex abſinthio oleum per infuſionem, quod etiam confici poteſt ex Abrotano; oleoque hujuſmodi regio circa umbilicum poteſt aliquando perungi. Deſtillatione quoque oleum ex abſinthio elici ſolet, quod, ſive intrinſecùs, ſive extrinſecùs, ad paucas guttas magni uſus eſſe poteſt in ventris fluore arcendo.

At menthæ criſpæ familiarior eſſe poteſt uſus; quippe grata ſatis, & magnum languorum ventriculi, & ægritudinum inteſtinorum, remedium eſt. Si recens ſit, poterit ſola maſticata priùs ſumi, vel ſimul cum pane poteſt devorari, vel cibis quamplurimis poterit aptè permiſceri. Succus etiam ejuſdem magnarum eſt virium, ſed non hoc opus eſt militi ſuccum exprimere, ſat erit, ipſam mentham largè maſticare & devorare. Si verò illa fuerit ſicca, tum in pul-

pulverem redacta poterit ex vino, ex jure, vel ex aqua ferventi, ſumi; tum cibis poterit permiſceri; tum etiam per infuſionem aqua ex illa parari poteſt, prout dictum eſt ſupra P. 2. cap. 7. Extrinſecùs etiam ex ſe ſola, vel abſinthio, abrotano, aliiſque ſimilibus addita poteſt applicari: & ſacculi, ex iſtorum ſimiliumque pulveribus, cum goſſypio poſſunt parari, ut moris eſt.

Menthæ autem, quam nonnulli dicunt Romanam, alii herbam ſanctæ Mariæ, Germani appellant *Frauen-Münz*, ſimilis eſt uſus; ſed multò efficacior eſt recens collecta, quàm ſicca. Recens permiſcetur ovis conquaſſatis, & poſtea decoquitur in butyro ferventi, vel in hirci pinguedine; vel juri ferventi ova & herba Sanctæ Mariæ ſimul permixta induntur, ut coquantur (breviſſima autem indigent coctura), poſtea adjecto pane comeduntur. Solo olfactu herba iſta nimis atque nimis confortat hominem.

Tormentillæ etiam radix, tum in ſanguineo fluxu, tum in diarrhœa, non leve affert auxilium. Strenui milites, ut ſibi caveant ab his malis, poſſunt radicem tormentillæ ad nucis magnitudinem ore detentam ſaliva emollire, poſtea dentibus paulatim conterere, atque paulatim ſalivam, vi ſubſtantiaque radicis imbutam, deglutire. Poſſunt etiam radices de recenti contritas & in pulverem redactas ad drach. 1. magnitudinem, vel cum ſaccharo roſ. rubro permiſcere, indeque devorare; vel cum aqua, vel vino, vel jure, ſumere. Et pluries quidem ſumtus pulvis iſte eſt ſanè efficax remedium dyſenteriæ prophylacticum.

Rubi

Rubi autem idæi fructus maturus eſſe ſolet iis anni temporibus, in quibus populares dyſenteriæ urgent; ſiccus etiam integro anno ſervatur optimè; & utcunque uſurpatus prodeſt. Ex radice verò tum alia multa, tum conſueta ratione aqua parari poteſt.

Nuclei proſunt pinearum; in quibus, ſi recentes ſint, latet, ut ſic dicam, reſinoſa quædam ſubſtantia, quæ in vetuſtioribns manifeſta eſt, & ipſo guſtatu percipitur: qua ratione confert etiam aqua pini. Poſſunt comedi ex ſe, vel cum pane; vel contunduntur, permiſcenturque juri ferventi; &, adjecta exigua quantitate nucis moſchatæ, mane ſumuntur.

Nuces moſchatæ ab omnibus ſanè ſcriptoribus melioris farinæ commendantur; etſi plerique, quoniam in phyſicis falſa habent principia, rationes nequeant invenire, quibus rectè explicent, quare illæ proſint in ventris fluoribus, & prodeſſe poſſint ad præſervandum hominem a dyſenteria; utiles equidem ſunt ex ſe ſolæ maſticatæ & devoratæ, vel ovis additæ, vel utcunque cibis permixtæ. Non nimium eſt, maſticando, vel aliter iis utendo, binas abſumere in hebdomada. Ex illis exprimitur oleum, cujus tum internus ad piperis magnitudinem ex jure, vel ex aqua ferventi, tum extrinſecùs, illinendo ventrem circa umbilicum, proficuus eſt uſus.

Fit autem ex oleo nucis moſchatæ expreſſo, ex oleo abſinthii & menthæ, deſtillatione paratis, linimentum nimis efficax atque utile, ad confortandum roborandumque ventrem, doloreſque ejuſdem moderandos: cujus etiam aliquando

quando aliquid ore ſumi poteſt ad piperis magnitudinem.

Similia dici poſſunt de flore nucis moſchatæ, hoc eſt, de macere.

Fama autem eſt, iiſdem in locis, in quibus malorum cauſæ reperiuntur, reperiri etiam remedia; ac plantis venenatis proximam nonnunquam conſueſſe naſci antidotum. Quod etſi nequaquam ſit ſemper verum; attamen in ipſis fluminibus, lacubus, paludibus, aliiſque locis, in quibus milites ægrotandi cauſas habent, gammaros reperiri, plurimorum morborum caſtrenſium non vulgare remedium, eſt omnino certiſſimum. Et quidem, ad præſervandum militem a dyſenteria & a diarrhœa, multùm prodeſſe poſſunt fluviales cancri, ſive gammari. Quorum multiplex eſt utendi modus. I. Elixantur in aquis ferventibus una cum petroſelino, vel apio; & adjicitur butyrum, vel oleum, vel pinguis aliqua ſubſtantia, ſive bovis, ſive capræ, aut hirci, aut vervecis, aut alia ſimilis; deinde comeduntur, paniſque intingitur juri. II. Aſſantur in prunis, & comeduntur cum pane. III. cum meliùs atque meliùs juxta ignem exſiccati fuerint, poſtea integri cum teſtis rediguntur in pulverem, & pulvis, bis terve in hebdomada, ad drach. 2. pondus ſumitur ex jure, vel ex aqua aliqua appropriata. IV. reperiuntur in gammaris lapilli quidam, qui oculi appellantur cancrorum (ſed re vera non ſunt oculi) non alia indigentes præparatione, quàm triturationis: & in pulverem quidem redacti, ſumtique ad pondus unius drachmæ, ad arcendam dyſenteriam

vel

vel diarrhœam, & in morbis, quos ab acido fieri plerique medicorum aſſerunt, non ignavam præſtant operam; ſuntque in re medica nihilo inferiores margaritis, quinimo præſtantiores.

Similia præſtare fertur maxillæ lucii pulvis. Atque multùm deprædicatur a pleriſque pulvis dyſentericus Domini Johannis Langii, qui ſuſcipit *maxillarum lucii*, *priapi cervi*, *corticum granatorum*, *cornu cervi uſti*, *boli armeni*, *ſem. lapathi acuti*, *ana partes æquales*. Cenſeo autem, hæc omnia, tam ſimul conjuncta, ut præcepit Langius, quàm ſingula ſeparatim ſumta, tum in dyſenteria, tum in diarrhœa, & in aliis alvi fluxibus, nimiùm conducere poſſe.

Lepus etiam, quoniam in campis, in quibus caſtra habet miles, frequenter reperitur, non eſt prætereundus. Et quidem leporis caro aſſata arcet dyſenteriam. Ac de leporis ſanguine exſiccato non ignobiliores in cruento alvi fluore deprædicari effectus, ac in ſanguineo pleuriticorum ſcreatu de hirci ſanguine deprædicantur, cuicunque notum eſt. Memini autem, Galenum etiam laudare, adversùs dyſenteriam, caprarum ſanguinem toſtum & in pulverem redactum, de quo nullum habeo experimentum. Sed de hirci quidem ſanguine memoria teneo, duobus dyſenteria laborantibus profuiſſe quampluri-mùm. Neque ego dubito, multa pleuriticis proficua, de quibus aliquid tetigi cap. primo, dyſentericis etiam convenire.

Similia dici poſſent de hepate leporis exſiccato & in pulverem redacto, ut etiam de hepate plerorumque aliorum animalium.

Ac

Ac fortè de hepate animalium quis dicere poteſt, quod cum multa habeat hepar biliaria vaſa, in quibus ſemper aliquid bilis remaneat, poſſit hepar prodeſſe dyſenterico, quoniam utile opus rectæ ſeparationis bilis a ſanguine in hepàte viventis propter partium analogiam adjuvatur: non minùs ac, quia fortè lateat in ventriculis animalium plerorumque & in folliculis ventriculorum gallinæ aliquid ejus fermenti, quod utile eſt ad ciborum laudabilem in ventriculo hominis præparationem, proſint hæc, ubi opus ventriculi adjuvare velimus. Simile quid in aliis caſibus de pulmone vulpis, & de umbilicali funiculo & ſecundinis, deque aliis multis dici poſſent. Ac equidem in alvi fluxibus multum bilis peccare ſolet; & fere ſemper languidè in ventriculo multiplici de cauſa, & languidè nimiùm in inteſtinis, bilis præcipuè vitio, præparationis ciborum opus abſolvitur.

CAPUT III.

De arcenda diarrhœa.

DYſenteriæ ferè ſemper ſuccedit diarrhœa, quæ etiam aliquando præcedere ſolet; & non rarò pluries decurſu temporis ex dyſenteria in diarrhœam, & ex diarrhœa in dyſenteriam, fit tranſitus. Medicamenta quoque, quæ dyſentericis prodeſſe conſuevere, plerumque iis proſunt, qui diarrhœa corripiuntur: videlicet ſæpenumero eadem cauſa, prout diverſimodè applicata & diverſimodè a variis ſimul

concurrentibus ad nocendum determinata eſt, & prout unam potiùs, vel aliam corporis particulam afficit, vel abſceſſum, vel abſceſſus, facere poteſt in inteſtinis, aut liquorum vias corrumpere, & exulcerare poteſt, organaque, quibus unum ab alio ſecernitur, vitiare; ut poſtea ſecundùm conſuetas naturæ leges unum aptè ſecretum ab altero ad uſus corporis minimè præterfluat. Vel eadem cauſa inteſtina poteſt ad aliquid præter naturæ ordinem effundendum irritare, atque ſic omnia perturbare, ut plus, quam æquum eſt, in cavitatem inteſtinorum confluat, parùm, aut nihil, ab iis, quæ in eadem cavitate inteſtinorum continentur, ſuſcipiatur.

Quamobrem ea, quæ valent ſolvere, ſuperare, vel corrigere, cauſam illam, remedia ſunt omnium illorum morborum, qui ab eadem fieri poſſunt.

Dantur tamen medicorum judicio diarrhœæ, quæ non agnoſcant eandem, aut ſimilem, cum dyſenteria cauſam, & aliquid aliud potiùs deſiderent. Et hujuſmodi ferè ſemper ſunt illæ, in quibus ea, quæ excernuntur, integris inteſtinis, ſine dolore prodeunt, & non ſunt mucoſa, neque raſuris inteſtinorum ſimilia, neque ſimiliter fœtent. Fieri autem poſſunt, vel ob prohibitam corporis tranſpirationem, cujus non ſemel ſupra meminimus, ut neceſſum ſit, quædam alicubi abundare (exempli gratia in ventriculo, vel inteſtinis), ſine tamen effuſionis ſanguinis periculo; vel fiunt ob vitium eorum, quibus cibus potuſve aptè alterantur, ut non poſſit æquali felicitate, ac cum homo bene valet, nutrimentum ad-

admiſſum in venas corpus reficere. Et ſunt hæc multi generis, quæ meo judicio etiam cum iis, quæ abſceſſus facere apta ſunt, & cum iis, quæ ſanguini poſſunt vias aperire, & dolorificas facere homini in inteſtinis perceptiones, nonnunquam confunduntur. Attamen ſunt complura remedia, quæ uni quidem magis conveniunt, quàm alteri, ſed plerumque innoxiè ab utriſque poſſunt uſurpari; & ſunt etiam, quæ utriſque æquè conveniant.

Quamobrem, ſicuti factum eſt capite ſuperiori, ubi radicis tormentillæ, & oculorum cancri, aliorumque ſimilium, memini, quæ dyſentericis, & diarrhœa laborantibus, multùm atque multùm prodeſſe poſſunt; in præſenti attingam multa, quæ diarrhœas quidem valeant arcere, ſed inter iſta multa adderunt, quæ dyſentericis etiam conveniant. Quod facilè contingit in univerſa re medica: nam ſicuti ab una eademque cauſa, propter aliorum concurſum, non unicum malum fit homini; ita quoque ex uno eodemque remedio plura nobis poſſunt contingere beneficia.

Illa autem ſunt multa ex chalybe parata. Ut eſt aqua chalybis, ſive ferri, de qua nonnihil dictum eſt par. 2. cap. 7. quæ etiam, ut pleriſque placet, parari poteſt, pluries atque pluries extinguendo ignitum ferrum in aquis: ſed via, quam tradidi par 2. cap. 7. mihi viſa eſt commodior & efficacior pro milite. Aquis hujuſmodi, tum in decoquendis cibis, tum in potu, vel eas permiſcendo aliis liquoribus, loco communis aquæ miles uti poterit.

Ex chalybe etiam brevi tempore habere poſſumus vinum chalybeatum, quo corrigi poſſunt ſucci facientes diarrhœam, & impedimenta in vaſis auferri, quæ plerumque ſunt dyſenteriæ & diarrhœæ cauſæ. Fit autem vinum chalybeatum infuſione fruſti chalybis in vino, ſpatio quatuor, vel quinque, aut plurium horarum, ſi efficaciorem velimus extractionem.

Ex chalybe etiam, aceti acerrimi vel aceti deſtillati beneficio, habere poſſumus extractum, cujus ad guttas nonnullas ex jure, vel vino, vel aqua, efficax ſanè opera eſt ad ſanandam diarrhœam, & conſequenter ad præcavendam; eſtque hoc remedium magnum nonnullorum arcanum.

Sunt autem virgines pleræque, & non pauci mares, qui innoxiè, quinimo maximo cum beneficio, in pluribus ægritudinibus propenſionibuſque ad ægritudines, vino chalybeato uti conſuevere. Quod idcirco dictum volui, ut manifeſtum facerem, facilius eſſe, errare homines in uſu cydoniorum, exempli gratia, quàm in uſu vini vel aquæ chalybeatæ.

Sed neque cydonia ſpernenda ſunt, quæ, ſive elixa, ſive aſſata priùs, poſtea comeſta, ſolent ventriculum roborare, & efficere, ut ritè, vel ſaltem meliùs, cibus concoquatur; quo ceſſat diarrhœa. Vinum ex ſucco expreſſo ſimilia præſtat. At ſuccus recenter expreſſus ponticitatem quandam habet, qua fibras ventriculi & inteſtinorum videtur poſſe corrugare.

Pulvis item corticum granatorum ad ſcrup. 1. non paucis magnum attulit emolumentum.

Ex-

Exprimitur etiam ex granis & corticibus ſimul granatorum ſuccus, ad ſiſtendam alvum & ad arcendam diarrhœam proficuus.

Illi autem, qui bilem agnoſcunt in ipſis eſſe tum abundantiorem, tum efficaciorem, poſſunt inſuper uti agreſta, & ſucco agreſtæ de recenti expreſſo: videlicet pani ſuperadditur contuſa agreſta & ſalis momentum, & quandoque utiliter adjicitur nucis moſchatæ & cinnnamomi pulvis. Vel contunditur allium, indeque agreſta, quorum ſuccus ſuperadditur pani in offas inciſo, adjiciturque aliquod aromaticum, & nonnunquam bonum etiam eſt ſuperaddidiſſe oleum. Agreſta autem vel recens colligitur in vineis, quæ caſtris proximæ ſunt; vel ſuccus ejus leni evaporatione ad juſtam conſiſtentiam redactus diu ſervatur, & facilè ex uno in alios locos defertur.

CAPUT IV.

De febre petechiali arcenda.

QUalis & quantus ſit lacus Agnani, iis, qui admirabilium naturæ ſunt mediocriter curioſi, ſat ſuperque notum eſſe exiſtimo. Enimvero præter, quam circum habeat multa veterum Romanorum monumenta, & proximi ſint Puteoli, ac omnis ager ille thermis plurium generum ſit refertus, & ignes habeat, nareſque paſſim in eo variis exhalationibus, præſertim ſulphureis, feriantur prætereuntium: adeſt etiam ad ripam lacus crypta canum dicta (*la*

grotta delli cani), in qua brevi temporis momento moriuntur animalia, quæ aëre utuntur, qui eſt in cryptæ fundo. Quibuſdam annis tota regio illa eſt perquam nimiùm gravis hominum ſaluti; ac in ea facilè ægroti fiunt Neapolitani, menſibus maximè Septembris, Octobris & Novembris, qui, vel ad colligendos fructus, vel animi gratia, rurales campeſtreſque iis temporibus inhabitant domos. Graviſſima autem fuit anno, neſcio an rectè memini, 1664. vel 1665; etenim ferè omnes, qui regionem illam frequentarunt, febribus, quas malignas appellabant, & in quibus exanthemata ſive petechiæ apparebant, ægroti facti ſunt: eratque morbus domeſticis & frequentioribus circa ægrotum contagioſus.

Magna contentio hac occaſione orta eſt circa lini infuſionem in lacu, quam nonnulli voluerunt fuiſſe illorum morborum cauſam; cum tamen ſingulis annis ab antiquis temporibus fuerint lini infuſiones in lacu, ſed non ſingulis annis fuerint ſimiles morbi; ac aliquis locorum, in quibus complures ægritudinum ſemina accipiebant, ad unum vel ad bina milliaria remotus erat a loco, in quo lina infundebantur.

Quæſitum tunc temporis eſt ab Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo D. Andrea Concublet, Marchione de Arena, viro ſanè bonarum artium omnium cultore & promotore, qui rerum Phyſico-Mathematicarum Academiam quandam inſtituerat, quid præſidii eſſe poſſet, ut quis præſervaretur ab illis morbis. Atque, ut ſemper

per fieri ſolet, aliud atque aliud ab iis, qui aderant, dictum fuit.

Joannes autem Baptiſta Capuccius exiſtimavit, febres illas potuiſſe comparari febribus petechialibus caſtrenſibus, & iis præſertim, quæ in Hungaria militi quibuſdam annis graviùs, quibuſdam annis leviùs, & aliquando frequentiùs, aliquando rariùs, ſolent eſſe moleſtæ. Aſſerebat autem, ab iis, qui ſcribunt de morbo Hungarico, multùm commendari pulverem Rubeum Pannonicum, & Species liberantes, quorum hæc eſt deſcriptio.

Deſcriptio pulveris Rubei Pannonici.

℞. *Boli armen. cum aqua roſarum & acetoſæ præparat. unc. 3. terræ lemniæ veræ præparatæ unc. 2. coralliorum rubrorum præparatorum unc. ſem. alborum præparatorum drach. 6. lapidum pretioſorum, ſcilicet ſmaragdi, rubini, ſapphiri, hyacinthi, præparatorum ana drach. 4. margaritarum præparatarum drach. 5. cinnam. electi drach. 2. cort. citri, ſantali albi, ana drach. 1. & ſem. ſpodii præparati drach. 5. raſuræ eboris drach. 3. croci orientalis drach. 1. cornu cervi philoſophicè præparati an. drach. 4. fol. auri n. 7. fiat omnium pulvis.*

Cujus ad drach. 1. vel drach. 1. & ſem. vel ad drach. 2. in aqua cardui benedicti, vel boraginis, vel acetoſæ, vel ſucco limonum, eſto uſus.

Specierum vero liberantium deſcriptio eſt.

℞. *Radicum tormentillæ, ſem. acetoſæ, endiviæ, coriandri, citri, ana drach.* 1. *& ſem. ſantalorum omnium, dictamni albi, ana drach.* 1. *boli armen. præpar. & terræ lemniæ ana drach.* 2. *margaritarum, corallii utriuſque, ſuccini albi, raſuræ eboris, ſpodii ex ebore, ſeu eboris uſti, oſſis de corde cervi, been utriuſque, doronici, cardamomi, cinnamomi, macis, ligni aloës, caſſiæ ligneæ, croci, zedoariæ, ana drach. ſem. ſacchari canti, penidii, ſerici crudi toſti pulveriſati, ſmaragdi, hyacinthi, granati, ana ſcrup.* 2. *florum nymphææ, bugloſſi, roſarum, ana ſcrup.* 1. *miſc. fiat pulvis.*

Completæ fiunt ſpecies iſtæ additis camphoræ granis 7., moſchi & ambræ ana grá 3.

Similiter dari poſſunt ad drach. 1. circiter in liquore convenienti, vel permixtæ alicui conſervæ.

Addebat autem Capuccius, quod, etſi medicamenta iſta, & alia multa, quæ tunc ab eodem, & ab aliis memorabantur, frequenti ſint in uſu, & in febre petechiali laudabiles præſtent effectus; illos tamen, qui primùm ſimul tam varia permiſcuerunt, & formulas iſtas adornarunt, non equidem eſſe laudandos: ſicuti neque laudandi Andromachus atque Damocrates ex theriacæ & mithridatii deſcriptionibus: etſi hæc quoque pharmaca utilia ſint in pleriſque ægritudinibus. Enimvero, quod pulveres illi,

illi, & non pauca alia medicamenta, frequenti in uſu ſint, ajebat, factum fuiſſe vel caſualitate aliqua, vel adulatione in potentem virum, vel auri aviditate, vel ob aliam ſimilem rationem; ſicuti frequenti etiam in uſu ſine ulla recta ratione ſunt uniones, tum in medicina, tum ad ornandas mulieres. Neque novum eſt, vana plerumque eſſe hominum ingenia, qui ſæpe ſæpius magnis laboribus, & magna cum auri diſſipatione, multa quærunt, neſcientes qnare; ac non raro volunt, quod prius noluerunt; nolunt, quod prius expetiverant. Et ex his quoque factum eſt, quod quædam olim magno fuerint in uſu, quorum nunc vix fama ſupereſt, e contra non pauca noſtris temporibus quotidie maxime uſurpentur, quorum antiquitas nullam omnino cognovit uſus neceſſitatem.

Illud etiam, quod medicamenta ſupra deſcripta, & alia multa, tum in febre petechiali, tum in aliis ægritudinibus, utilem præſtent operam, non equidem ſatis eſſe volebat, ad laudandum primos auctores. Nam quæcunque ſunt in natura, licet fortaſſis caſu permixta (ſicuti caſu & ſine arte permixta ſunt multa atque multa medicamenta), prout eorum eſt uſus rectus, vel non rectus, multum boni, & multum mali, facere poſſunt; ac quocunque eorum, quæ ſunt in natura, etiam caſu fortunave ſumto, multi boni laudabileſque promitti poſſunt effectus, & ab eodem, ſi malus fuerit uſus, multa mala futura erunt.

Addidit inſuper, eum ſic fuiſſe locutum, ut pauperum omnium, patefacta rei veritate, ani-

mum exhilararet, & lætum faceret plus, quam facere valeant Rhaſis ad Almanſorem Regem ſpecies lætificantes, ac ſemper ipſi illorum medicorum diſplicuiſſe vafritiem, vel ignorantiam, qui nonnunquam ægroto pauperi inquiunt, quod neceſſariæ ſint uniones, vel electuaria cum gemmis, vel alia pretioſa, ad ſanandos eos a morbis. Illos ajebat ſine dubio mentiri ac, cum debeant conſolari afflictos, animum dejicere ægrotantium, & virium quicquid reſiduum eſt, deſperatione exhaurire. Illos mentiri ajebat, nec non propriam ingnorantiam manifeſtam facere: nam etſi uniones, quoniam ipſæ quoque aliquid in natura ſunt, homini non raro prodeſſe poſſint; non tamen maqis ipſæ proſunt, quàm matris perlarum pulvis, cujus eadem aut planè ſimilis ſit natura: & multa alia ſunt viliſſima ſanè, ut teſtæ cancrorum, oculique eorundem, oſſa boum calcinata, cornu cervi, ebur, aliaque hujus generis, quæ, ſi non meliora margaritis, certe non ſunt inferiora: verùm non paucos eſſe, circulatorias & æruſcatorias tantùm qui exerceant, & pretioſa tantùm magnifaciant. Ac teſtabatur, ipſum non videre, cur frequentior ſit uſus in medicamentis lapillorum pretioſorum, & margaritarum, quàm baccarum lauri, vel rorismarini exempli gratia; cum certo certius ad ſedandas pleraſque hominum moleſtias plus valeant baccæ lauri, & rosmarinus, quàm gemmæ orientales. Stoliditatemque appellabat, ſemper, quæ cariora ſunt, majori etiam vi pollere, exiſtimare: nam ſæpiſſimè oppoſitum omnino contingit.

Atque

Atque equidem credebat, gemmas additas pulveribus Rubeo Pannonico, & liberantibus, ut eſſet, quo cariùs vendi poſſent, atque ſic inventorum & ſucceſſorum neceſſitati meliùs ſuccurretur; quod ſi gemmæ auferantur, nihil profectò magni decedere pulveribus illis, ac ſi, quantum decedit pondere detractis gemmis, ſuperaddatur cinnamomi, cort. citri, ſantali, aliorumque, dicebat, quod major etiam futura eſſet virtus, & vilitas illorum eorundem pulverum.

Sic etiam ad ſpeciem, & ad ludificandam hominum imperitiorum credulitatem, addebat, utriuſque corallii, albi & rubri, & ſuccini utriuſque, factam mentionem: vel accipi album ſive ſuccinum, ſive corallium, quoniam rarius eſt, non quia aliquid majoris virtutis notaverint eſſe in albo, quod non ſit in flavo ſuccino, vel in rubro corallio.

Porrò, ex illis iiſdem, ex quibus conſtant pulveres prædicti, poſſe nos multa atque præclara habere medicamenta, quæ tum efficaciora ſint ad profligandam febrem petechialem aliaſque non paucas ægritudines arcendas (quantum huma prudentia promittere poteſt), tum etiam viliùs & faciliùs comparentur, conſtanter affirmabat. Et ut hanc ſententiam ſuam probaret, multa adducebat exempla, deſcriptioneſque addebat medicamentorum, quæ ex illis iiſdem fiunt.

I. De croco dicebat, quod, ſi accipiantur croci noſtratis Brutiorum, vel Auſtriaci, grana tria (non eſt enim neceſſe, ut ab oriente convehatur)

tur), eaque exſiccata probè & in pulverem comminuta ſumantur in calido juſculo, multum ſanè proſint ad arcendam febrem petechialem. Croci etiam uſus eſſe poteſt varius in cibis pleriſque condiendis, & alicubi quibuſdam anni temporibus pani etiam additur crocus.

II. Similiter dicebat de dictamno albo (cujus pulvis ad ſcrup. 1. ſumi poteſt ex jure, vel ex vino, vel ex aqua ferventi), & magnum nos in ſolo dictamno habere prophylacticum nonnullorum morborum remedium; nec non etiam in vulneribus & ulceribus vini, in quo dictamnus fuerit infuſus, non equidem mediocrem eſſe poſſe extrinſecùs & intrinſecùs uſum: multum enim proderit, ut vulnera & ulcera citiùs, & breviùs, & tutiùs, ſanentur.

Vidi ego Venetiis magnam copiam Cretenſis dictamni acutiſſimi & efficaciſſimi, quæ vili ſanè pretio vendebatur: quamobrem illis, qui ſub Aurei Leonis feliciſſimis vexillis militant, non deerit dictamni optimi copia. Dictamnum autem uſurpare poſſunt, addendo illum cibis multipliciter, eodem ſanè modo, ac plerique de origani pulvere faciunt; foliaque dictamni maſticata conducunt non parùm, quo miles roborabitur, & multas ægritudines procul arcebit.

III. Similiter de cinnamomo, caryophyllis, flore nucis moſchatæ, cardamomo, ſimilibuſque, dicendum putabat; quin ex his iiſdem componi poſſe pulverem, qui tum ſimpliciter ſumtus nimiùm proſit, tum etiam nimis conducat ad cibos varios condiendos, qui propterea grati magis,

gis, & magis ſalubres, erunt: ut exempli gratia,

℞. Cinnam. & cardam. ana p. 4. caryophyll. p. 1. macis, vel nucis mochatæ, p. 2. miſc. fiat pulvis. Quod ſi quis addet p. 4. zingiberis, totidemque piperis nigri (quæ licèt non ingrediantur compoſitionem pulverum Rubei Pannonici, vel ſpecierum liberantium, tamen admittuntur in ſpecies diamargariti calidi Avicennæ), pulvis erit efficacior tum ad ſanandos, tum ad profligandos, pleroſque morbos malignos.

IV. Cortices item citri & aurantiorum ſiccos ajebat diutiſſimè ſervari, quorum ſi pluries exigua quantitas ore detineatur & maſticetur, manifeſtò obſervare nos corpus corroborari, & in multis nobis melius eſſe; ac poſſe nos hæc eadem, ſi placuerit, aliis addere. Semina verò ſive citri, ſive aurantiorum, tum ſimiliter utiliter maſticari & devorari aſſerebat, tum etiam cum operæ pretio pleriſque aliis addi.

V. Similiter affirmabat de tormentillæ & zedoariæ radicibus, quod ſimpliciter ex ſe ſumi, vel pulvis earum alicui conſervæ, ſyrupo, aut alii liquori, permiſceri poſſit.

VI. Camphoræ autem magnas dicebat eſſe vires, tum in curandis, tum in profligandis, febribus petechialibus; & quod illa poſſit ex ſe ſola maſticari & deglutiri, ad pondus unius vel alterius grani, ter quaterve in hebdomada, niſi fortè major ſit ejuſdem neceſſitas; vel poterit aliis addi: ut exempli gratia,

℞. Pulv. dictamni cretici & ſantali citrini ana ſcrup. ſem. camphoræ gr. 2. conſervæ roſ. vel boraginis,

boraginis, vel alterius ſimilis, quantum ſufficit pro bolo conficiendo.

Vel ℞. pulv. rad. Zedoariæ ſcrup. 1. ſem. citri num. ʃ. camphoræ gr. 1. miſc. & ſumantur utcunque.

Similem afferebat eſſe poſſe ſuccini uſum. Quod præterea in fumos reſolutum poteſt reſpiratione ſumtum corpus non parum alterare. At ſuccinum camphora minùs efficax eſt. Fit tamen ex eo deſtillatione oleum efficax, cujus guttulæ nonnullæ extrinſecùs naribus applicatæ, vel ex jure, aut vino, aut aliter, intus ſumtæ, prodeſſe nimis valeant.

VII. De ſantalis ſimiliter dicebat, quod contrita in pulverem, ſumtaque ſine alterius rei permixtione, utiles ſanè producerent effectus; quod poſſit etiam pulvis eorundem aliis addi. Cumque tria ſint ſantalorum genera, in febre petechiali eligendum putabat citrinum.

Dictum autem eſt par. 2. cap. 7. ex ſantalis per infuſionem poſſe nos habere aquam, quæ utilis ſit in pleriſque morbis; atque nunc addo, in ſuſpicionibus conſtitutionis, quæ ferat febres petechiales, utile eſſe, per intervalla aqua uti ſantalorum.

VIII. Cumque in compoſitionem ſpecierum liberantium, & pulveris Rubei Pannonici, admittantur margar. bol. arm. terra ſigil. ſpodium (cujus retinetur nomen ſpecioſum, cum res non adſit ſubſtituaturque ebur uſtum), os de corde cervi, cornu cervi philoſophicè præparatum (hoc eſt, per fumos bullientis aquæ calcinatum), & corallia; affirmabat, hæc non multùm con-

convenire in virtutibus cum illis aliis, croco, flore nucis moſchatæ, caryophyllis, cardamomo, dictamno, ſantalis, &c. ac proinde pleriſque nequaquam hæc omnia ſimul mixta convenire. Igitur ſi cui hæc alia conducere exiſtimabuntur, abſque tanto apparatu, diſcreta, & ſimplicioribus formis, præſcribi poterunt. Exempli gratia pulvis cornu cervi poteſt ſumi in præſervationem a morbis malignis (maximè ſi alvus eſt laxior) ad drach. ſem. bis terve in hebdomada. Similiter dicendum putabat de pulvere coralliorum, vel eboris uſti, vel terræ lemniæ, vel de matris perlarum pulvere. Quod ſi alicui libido ſit hæc omnia commiſcendi, poterit quidem his ſimul commixtis uti ad ſcrup. 2. vel ad drach. 1. pluribus vicibus in ſeptimana.

IX. Atque equidem puto non ingratum fuiſſe militi hæc retuliſſe; quoniam edoctus ab his, quæ dixit Capuccius, pretioſa non invidebit Principibus, qui frequenter, propter ignorantiam rerum bonarum, nihil habentes Principum, niſi nomen, facillimè decipiuntur a mimis, & agyrtis, quos habent circum. Principum etiam ſæpiſſime (ſi nihil æſtimemus oſtentationes ſpecioſitateſque nominum) facilè cognoſcemus pejoribus & gravioribus vitam conditionibus conſervari, quàm pauperis, ingenio tamen præditi, ſalus conſervetur & vita prorogetur.

Miles igitur, ſi Capuccii conſiliis úti velit, ſpectatis primùm generalioribus, quæ pertinent ad conſervandam hominis ſalutem, de quibus dictum eſt cap. 1. ſimplicia illa uſurpabit, ex quibus conſtant pulveres Rubei Pannonici,

&

& Species liberantes, ſicuti expoſitum fuit. Vel permiſcebit aromatica, quæ magis conveniunt ad invicem, eorumque ipſi familiarior erit uſus, ſicut dictum eſt n. 3. Similiter teſtæ matris perlarum pulvere, vel eboris, vel cornu cervi uſti, vel coralliorum, ſimiliumque, utetur, ut dictum eſt ſupra n. 7. maximè ſi fluidior ſit alvus, ac cum acidos humores abundare medici inquiunt. Vel multa ex illis ſimul permiſcebit, uteturque per intervalla.

Quod ſi illa omnia, detractis gemmis, ſimul permixta convenire exiſtimentur, utique poterunt permiſceri; iiſque utetur miles atque credet, pleroſque medicos, & Principes non paucos, non habere meliora.

Verùm ſi quis libidine quadam velit pulveres illos, ſicuti confici ſolent, cum gemmis, per me liceat ſanè: & ego quoque aliquando illos præſcribo, quoniam jam, in uſu cum ſint, faciliùs & promtiùs præſcribuntur & habentur.

Ita neque contemnendi videntur Pulvis Sabaudicus; Rubeus Cæſaris; Specierum cordialium temperatarum; Specierum de gemmis frigidarum; de hyacintho; Imperatoris; morſellique ex illis: neque contemnenda ſunt ſexcentà alia, quæ præſcribi ſolent a medicis ſub electuarii, ſyrupi, vel aquæ, vel alterius rei, forma..

Illud tamen monendum duco, ne quis gemmis tantum pretioſiſque fidat. Nam re vera gemmarum quarumcunque uſu non quis præſervabitur a ſcabie; a qua tamen viliſſimo ſulphnre facilè erit immunis. Sed ego libenter, his omiſſis,

omiſſis, revertar ad faciliora & ad efficaciora ſimul medicamenta.

X. Auguſtani Medici peritiſſimi habent flores ſulphuris compoſitos, quos, propter ſimplicitatem & efficaciam, placet hic afferre. Suſcipiunt autem florum ſulphuris unc. 2. aloës hepaticæ & myrrhæ electæ ana unc. 1. croci ſcrup. 1. quibus tritis tenuiſſime, pulvis ſervatur ad uſus. Doſis erit ad ſcrup. 1. utcunque ſumtum.

XI. Pulvis iſte Auguſtanorum in memoriam revocat liquorem, qui fit ex aloë, myrrha, & croco, cujus memini par. 3. cap. 3. num. 4. & profectò magnas habet vires, in arcenda febre petechiali & pleriſque aliis morbis propulſandis. Ex his iiſdem liquorem tradidi deſtillatione elicitum par. 4. cap. 1. n. 2. Hic analogus eſt in virtute elixiri proprietatis Helmontii, qui longam requirit digeſtionem, non tamen ſine operæ pretio, & aquam cinnamomi ſuperinfundit: eſtque etiam hic liquor magnarum virium. Ex illis iiſdem tribus fieri poſſunt pilulæ ad præſervandum hominem a febre petechiali: videlicet ſi pulveribus myrrhæ ad unc. 1. aloës hepaticæ ad drach. 2. croci ad drach. 1. ſuperaddatur juſta vini quantitas, ut omnia poſſint poſtea in pilulas compingi ad ciceris magnitudinem, quarum una alternis, vel ſingulis ternis quaterniſve, diebus ſumi poterit. Quin etiam, cum deſtillatione elixiris proprietatis ſupra deſcripti non omnia aſcendant, ex iis, quæ in fundo retortæ remanent, in pulverem contritis, & addito vino poſſumus habere maſſam pilularum, quæ

M ſimiles

ſimiles præſtent ſalutares effectus, & viliſſimo pretio dentur pauperi.

Monendum autem eſt, myrrham nos accipere poſſe nulli permixtam. Item & flores ſulphuris poſſunt ſumi ſine alterius rei additione. Vidi autem flores ſulphuris multoties natura paratos, ut nulla alia neceſſaria eſſet hominum induſtria ad illos habendos. Nec non monendum eſt, quòd, etſi per breve tempus, aëre tamen aliquando uti accenſi ſulphuris exhalationibus alterato, ſicuti dictum eſt par. 3. cap. 3. n. 2, multùm prodeſſe poſſit.

XII. Tam ab antiquis, quàm a recentioribus, multùm commendantur rubi idæi fructus, quos vidi non exigua copia vendi in Germania. Mihi non videntur adeo efficaces, ut deprædicantur; haud tamen improbo illorum uſum. Poterit miles illos ſibi colligere ex rubetis atque eoſdem edere, ſunt enim grati, & lenes, & in aliquo ſimiles fragariæ fructibus.

XIII. Efficax etiam eſt radix contrayervæ, quæ utiliter maſticatur & devoratur, ſicuti ſupra dictum de tormentillæ & de zedoariæ radicibus.

XIV. Multa autem ſunt in his, ex quibus fieri poſſunt aquæ ratione alibi expoſita.

XV. Allium utcunque ſumtum prodeſt, & capita integra cum corticibus decocta, in aquis vel in jure, virtutem tribuunt, quibus ſudor proliciatur & tranſpiratio promoveatur: aliis etiam nominibus non parùm juvat idem decoctum alliorum.

XVI. Neque improbandum videtur id, quod

quod multi faciunt, bis terve in hebdomada, theriacæ aut mithridatii aliquid devorantes.

XVII. Sunt, qui ſolo aceti acerrimi olfactu nimis confortentur. Cujus interno uſu ad plures guttas quandoque ſudor promovetur. In febribus petechialibus, iiſque, quas dicunt malignas, & in peſte præcavenda, multùm a pleriſque commendatur acetum theriacale, cujus multæ ſunt deſcriptiones. Proſtat acetum theriacale deſcriptum ab Auguſtanis, cujus extrinſecus & intrinſecus eſt uſus. Si quis verò ſibi velit acetum aliquod præparare, poterit ex. gr. in aceti acerrimi libris duabus infundere ſeminum rutæ unc. ſem. corticum aurant. citri, cinnam. caryophyllati, & radicum contrayervæ ana unc. 1. eoque uti.

XVIII. Demum, cum operoſum nimis ſit, neque etiam expediat, unumquemque his omnibus uti & onerari, ſintque alia aliis magis minùſve proficua, unuſquiſque non omnia quidem confusè uſurpabit, ſed tria, vel quatuor, pro ſui conſervatione eliget: in quo vel proprio fidet ingenio & experimento, vel periti alicujus conſilium admittet. Ego pro me eligerem camphoram, dictamnum cretenſem; ea, quæ notata ſunt n. 3. de pulveribus pro condiendis cibis; & ea, quæ ex croco, myrrha & aloë parari dixi.

CAPUT V.

De arcenda quartana febre.

NUnquam meliùs aut rectiùs Galenus de re medica videtur locutus, quàm in iis libris, quos Glauconi philoſopho romano conſularique viro *De arte Curativa* inſcripſit. Is, quartanæ febris curationem Glauconi tradens, inter cætera, quæ memini, affirmat convenire quartana affectis diatrion pipereon, nec non aquam cum pipere, theriacam, ſinapi, & alia quædam. Diatrion pipereon autem habet trium piperum ana drach. 4. gr. 15. aniſi, thymi, & zingiberis ana drach. 1. miſc.

Et quidem his iiſdem quartanam febrem poſſumus procul arcere. Nunquam tamen eorum obliviſci debemus, quæ dicta ſunt cap. 1. circa generaliora, quibus corporis ſanitas conſervatur.

Quod ſi quis nolit hæc ſimul commiſcere (quæ etiam in pulverem comminuta, niſi rectè & in vaſe vitreo optimè clauſo ſerventur, facilè fiunt evanida), poteſt communis piperis integra grana, & unam vel alteram zingiberis radicem, ſecum deferre iiſque uti.

Piperis grana num. 20. vel 30. integra mane devorantur, quæ etiam facere ſolent alvum magis adſtrictam. Poſt prandium quoque totidem grana utiliter ſimili modo accipiuntur. Iis magis convenit piper, qui ructus acidos ſolent percipere; qui proinde frequentiùs, videlicet

qua-

quater vel quinquies in hebdomada, pipere more prædicto uti debent.

Zingiberis fruſtulum ſimiliter devorari poteſt; & ejus, ut etiam & piperis, multis aliis modis poteſt eſſe utilis uſus. Sed quandoque expedit ore detinere zingiber, & ſalvia illud emollire, leniterque maſticare, ac ſalivam interim deglutire: præſervabit enim hominem a quartana, & dentes confirmabit, gingivaſque coroborabit. Eadem radicula zingiberis ſufficit pro pluribus vicibus, pluribuſque diebus, donec leniter tractata dentibus abſumatur.

Seminum autem ſinapi multiplex eſt in Italia, Germania aliiſque in regionibus, internus uſus. Sæpe ſæpius permiſcetur muſto cocto, fitque veluti molle electuarium, quo ciborum concoctio promoveatur, appetitus ſolicitetur, & quartana ac tertiana febris prohibeantur.

Prodeſt etiam, unam vel alteram e baccis lauri devoraſſe. Quo etiam a multis malis inteſtina præſervantur.

Item prodeſt & myrrhæ aliquid ſumſiſſe.

Sunt & alia multa his analoga. Neque mihi nunc animus eſt omnia recenſere, vel cum iis de his diſputare, qui ſaltem aliquando deberent eſſe magis verecundi, & gratias agere iis, a quibus docentur.

CAPUT. VI.

De febre tertiana & quibusdam aliis febribus procul arcendis.

TUm ex antiquis, tum ex recentioribus, medicis non pauci ſecundùm varia tempora recurſus paroxyſmorum febres diſtinxerunt, alias quartanas, alias tertianas, alias quotidianas, appellare conſueti; conatique ſunt ea, quæ in his obſervabantur, quatuor elementorum & quatuor humorum hypotheſi accommodare. Nec non etiam, tanquam diverſas cauſas agnoſcerent febres, quæ citiùs aut tardiùs recurrerent, & diverſam propterea expoſcerent curandi methodum, aliud atque aliud præſcripſerunt ad curandas febres.

Quorum doctrina, aliorum ſententia, multas atque graves patitur difficultates. Et ex his alii interrogant, cur non quintus humor aſſignatus ſit quintanæ febri, ſextus ſextanæ, & ſeptimus ſeptima die rurſus invadenti?

Alii adnotarunt, multas febres, etſi varias in recurſu paroxyſmorum, iisdem tamen remediis curari. Alii non ſemel viderunt febres quoad recurſum acceſſionum ſimiles, quæ iisdem remediis minimè ceſſaverint. Quamobrem addere poſſunt, illud, æqualibus vel inæqualibus temporibns redire paroxyſmos febrium & plerorumque morborum, non includere, illos morbos eſſe omnino ſimilis naturæ, neque item ponere, illos eſſe diſſimiles in eſſentia. Non minùs ac

ac non omnes fructus, qui eodem anni menſe ad maturitatem perveniunt, ſimiles ſunt in virtutibus; neque, qui variis menſibus matureſcunt, neceſſariò proinde diſſimilem habent naturam & diſſimiles notatu dignos in hominum corporibus producunt effectus. Quin in eadem arbore ficus alii fructus maturitatem adipiſcuntur menſe Majo, & alii menſe Auguſto, ſapore, odore, colore virtutibuſque ſimiles: quod tamen haud æqualiter, aut omnino ſimiliter, obſervatur in omni ſpecie ficuum. Contra eadem quercus varios producit fructus, ſive quaſi fructus, variis temporibus ad maturitatem quandam devenientibus, qui ſunt diſſimiles ſanè colore, odore, ſapore, figura, atque virtute. Ac etiam quercubus ſimile qnid obſervatur in quibusdam prunorum generibus, varios fructus, ſive veluti fructus, eſu tamen aptos, producentibus. Sic, inquam, dicere poſſunt nonnunquam, morbos in quibusdam videri ſimiles; cum in iis, quæ magis interſunt, ſimiles minimè ſint: item aliquando morbos ſimiles eſſe in eſſentia, cum ratione loci affecti magis minùſve graves ſint, & aliam atque aliam expoſcant curationem. Neque profecto idem eſt, intumeſcere, & computreſcere, glandulam in inguine, vel in profundo corporis, exempli gratia in meſenterio, vel in pectore.

Verùm non ego nunc ullam juſtam habeo occaſionem, hæc & alia multa minutiùs excutiendi. In eorum autem confirmationem, quæ dicta ſunt capite primo hujus partis, facilius eſſe præſervari hominem a morbis, quàm curari &

ad ſanitatem revocari, placet hic addere: quod, etiamſi tumores glandularum ratione loci varia non rarò expoſcant remedia variamque curandi methodum, attamen ad hoc, ut non fiant tumores in glandulis omnibus totius corporis, ſive ut homo, quantum humana prudentia promittere poteſt, præſervetur a tumoribus glandularum, vel eadem omnino, vel ferè eadem, conveniant; atque ideo difficilius ſit, in his errare, quæ præſervationem reſpiciunt, quàm in iis, quæ præſcribuntur, ut curetur homo a tumore jam facto, vel in meſenterio, vel in pectore, vel in capite.

Neque aliter dicendum exiſtimo de quartana, tertiana, quotidianaque febre, aliiſque vagas & inordinatas periodos habentibus, quæ cum manifeſto rigore, vel horrore, aut horripilationibus, ſolent incipere, etſi varia habeant recurſus in paroxyſmis tempora. Videlicet de his omnibus cenſeo, quod iisdem ſimilibuſque remediis, eadem ſimilique norma, poſſint præcaveri. Quod ſi medicus aliquis neget, dari poſſe artem, quæ præſervet a febre tertiana; ego ſedulò moneo, atque conſulo militi, ſi unquam febre tertiana, quartana, aut alia, laborarit, ad non implorandum auxilium illius medici, quantumvis ſeſe jactantis. Nam hoc, mederi morbo jam facto, multò difficilius eſt, quàm præſervare & tueri hominem a morbo, qui fieri poteſt.

Ea autem, quæ poſſunt præſervare militem a febribus, ſunt illa eadem medicamenta, quæ a medicis magni nominis febrifuga ſolent appellari;

pellari; & excipio tantùm validiora, quæ non ſunt a quovis tractanda, quorum hic neque verbum unum addam. Neque hic repetam, quæ præcedenti capite tradita ſunt. Illis tamen adſcribam nonnulla ubique locorum obvia, vel quæ facilè ubique locorum haberi poſſint, & facilè a quovis in praxin deduci queant. Hujuſmodi autem ſunt.

I. Abſinthium, de quo jure merito pluries locutus ſum: detentum enim inter manus, applicatum extrinſecùs ventriculo, vel ſolo olfactu, non ſolum arcere, ſed etiam multas febres profligare poteſt: de quo plures habeo experientias. Abſinthii pluries in febribus meminit Galenus, qui in tertianis exquiſitis, poſt principium ægritudinis, ſingulis diebus præcipit abſinthii comam unam vel alteram ſumere ægrotantes; aitque, abſinthium mordicationum omnium ventriculi, quæ ex bile contingunt, magnum eſſe remedium. Ex abſinthio fit ol. per infuſ. quo poteſt perungi regio ventriculi; fit oleum per deſtill. de quo aliquid dictum cap. de dyſent. fiunt alia multa, vinum abſinthites, conſerva abſinthii, ſal abſinthii.

II. Similia dicere poſſumus de abrotano.

III. Arcent etiam febres ruta, ſalvia, roſmarinus, ſerpillum, pulegium, calamintha, & alia multa, quæ paſſim reperiuntur in agris, dictamnus (& præcipuè Cretenſis), meliſſa, baccæ juniperi; quorum aliquid ore detentum, leniter maſticatum & deglutitum, arcet febres. Omitto matricariam, quæ etiam olfactu (ut & multa ex prædictis, ſalvia, ſerpillum,

pulegium, calmintha) febres pleraſque arcet. Quibus, una cum recta vivendi norma, abſque dubio magis fidendum eſt, quàm purgantibus medicamentis, & ſanguinis quacunque via profuſione.

CAPUT VII.

De ictero arcendo.

IN caſtris etiam non pauci icteritia ſolent laborare. At ad præſervandum hominem ab ictero, præter generalia, de quibus dictum eſt cap. 1. juvat aliquando, inclinato capite, digitis vel penna fauces ſtimulaſſe ad vomitum, etiamſi nullus vomitus ſequatur: nam ille conatus vomendi aliquid movet in hepate & in cyſtide fellea, quo animal præſervetur ab ictero. Sed ſi tantus ſit ſtimulus, ut re vera homo vomitu tentetur, tandem pura bilis conſequitur. Prodeſt in cibo frequentiùs cichorium uſurpare, & aqua radicum graminis uti. Proſunt ea omnia, quæ bilem corrigere, & attenuare fluidioremque facere poſſunt, & inter hæc multùm valent abrotanum, abſinthium, centaurium; rhabarbarum etiam, non quia alvum ſolvit, & bilioſa exturbare videtur, ſed quia bilem corrigit. Ejus ad drach. ſem. ore detentum, liquatumque, ut ſic dicam, & deglutita poſtmodum ſaliva, poteſt immunem facere hominem ab ictero. Vel rhabarbarum contritum ad ſcrup. 1. infunditur in aqua cichorii, vel graminis, ad libram 1. & hujus aquæ eſt uſus in potu, hora ſolita

ſolita bibendi, in prandio, vel cœna; vel aqua illa permiſcetur vino. Item ſapo Venetus ad ſcrup. 1. liquatus in lactis calentis unc. 4. addito ſaccharo ad unc. ſem. manè jejuno propinatus, ſemel in menſe, poteſt præſervare ab ictero. Chalybeata verò, ut vinum, & acetum, & eſſentia, chalybis, atque alia pleraque, non exiguam vim habent ad præſervandum hominem ab icteritia. Item & baccæ hederæ aliquando devoratæ. Omitto pulverem lumbricorum terreſtrium ſiccorum, vel aſellorum pulverem, & alia multa, quæ notantur a medicis.

CAPUT VIII.

De appetitu conſervando, & ciborum concoctione promovenda.

RIdebunt nonnulli lecto titulo, quoniam non ipſis unquam defuit appetitus in caſtris, neque unquam ipſis fuit languidior ventriculus, verùm ſæpe defuit panis, quo potuerint explere famem. Attamen aliis aliter factum eſt, qui, ſive propter ciborum ſuperfluitates & potuum largitatem, ſive ob malam naturam ciborum & potuum, ſive propter imbecillitatem & ignaviam ventriculi eorumque liquorum, quibus concoctio promovetur, vel cibos ſunt averſati, vel, ſi quid acceperunt, malè concoxerunt.

His conveniunt, quæ cum ſemine ſinapi multipliciter fiunt: de quo aliquid dictum eſt ſupra cap. de quartana febre procul arcenda.

Ma-

Magnarum quoque virium, ad promovendam ciborum concoctionem, eſt naſturtium. Eſtque Viennæ, & multis in aliis locis Germaniæ, magna copia radicum, quas *Creen* vocant, quæ ad acuendum appetitum, & ad ciborum duriorum concoctionem facilitandam, ſunt multùm efficaces. Sunt qui exiſtiment, radices iſtas eſſe raphani ſylveſtris radices; & quid ſimile pro ſylveſtri raphano videtur deſcribere Matthiolus. Sed ſi raphani ſylveſtris ſint radices, quas vulgò Viennæ vendunt, & *Creen* appellant, certo certiùs raphanus ſylveſtris agri Romani nimiùm diſſimilis eſt raphano ſylveſtri Germano. Ille quidem acutus eſt, ſed hic eſt acutiſſimus: raphani Romani radices ſunt breves, *Creen* verò Germanorum radices ſunt oblongæ ſatis: & præterea acuties *Creen* Germanorum re vera aliquo pacto ſimilis eſt acutiei, quam percipimus in aliqua naſturtii ſpecie. Naſturtium autem Germani *Kreſſe* appellant; ac Mullerus inter raphani ſylveſtris ſpecies collocat naſturtii ſpeciem quandam. Coctæ utcunque radices iſtæ multum ſanè amittunt virium. Ipſarum uſus eſſe debet vel recentium, vel ſiccatarum in umbra. Cum ipſarum uſus erit, diffinduntur in tenues taleolas, comedendas cum carne vel cum pane. Atque equidem iis, qui nonniſi panem habent, & panem quandoque peſſimæ notæ, non parum præſidii afferre poſſunt viliſſimæ radices *Creen*. Cum aliquid radicum iſtarum ſumitur, non obeſt, aceto acerrimo panis fruſtulum intingere. Radices iſtæ procul arcent ſcorbutum, & eas omnes affectiones, quæ aliquam habent

habent cum ſcorbuto affinitatem, vel ab iisdem cum illo cauſis dependent; arcent quartanas, & tertianas. Hic loci inter alia multa addere poſſumus mentham criſpam, & mentham Romanam, quæ plurimùm valent ad conſervandum appetitum, & ciborum concoctionem promovendam.

CAPUT IX.

De ventris tumore & obſtructionibus præcavendis.

DIfficile eſt, illi intumeſcere ventrem obſtructioneſque fieri viſcerum, qui, omni vitato exceſſu, ea ſervat, quæ in primo cap. hujus quartæ partis dicta ſunt, & a potu abſtinet aquarum vitioſarum, de quibus dictum eſt cap. 6. & 7. ſecundæ partis. Hoc ipſum, intumeſcere ventrem & obſtructiones fieri viſcerum, difficillimè continget illi, qui aliquando in hebdomada, pro communi aqua, aqua utitur ligni ſaſſafras, vel aqua utitur, cui guttulæ ſpiritus vini ſunt additæ. Porrò, uſus frequentior radicum raphani hortenſis vel armoraciæ, & uſus frequentior naſturtii, & radicum *Creen* (Viennæ dicunt) certo certiùs præmuniunt hominem defenduntque ab obſtructionibus & a ventris tumoribus. Item & abſinthii uſus, & uſus vini, in quo chalybis fruſtulum fuerit infuſum, præſervant hominem ab obſtructionibus.

CA-

CAPUT X.

De tuſſi præcavenda.

TUſſis etiam frequenter ſolet moleſtare militem; vel quia crudis & frigidis veſcitur; vel quia multi fiunt in ejus vivendi ratione tranſitus a calido in frigidum, & a frigido in calidum ſtatum; vel ob alias cauſas. Is igitur, qui a tuſſi vult eſſe immunis, tum ad hæc, tum ad generalia, quæ ſunt enumerata cap. primo, reſpicere debebit. Atque inſuper aliquando maſticabit & devorabit thuris grana nonnulla; vel pulverem thuris, aut maſtiches, in ovo ſorbili, vel quacunque alia ratione, accipiet. Vel accipiet bolum ex terebinthina, addito pulvere radicum ireos, & glycyrrhizæ, atque ſacchari pulvere. Fit etiam ex mellis, ſacchari, & butyri recentis, partibus æqualibus, ad ignem lentum ſimul commixtis, & frequenter agitando, medicamentum, quod, devoratum per intervalla, poſſit arcere tuſſim. His convenit, radicis enulæ campanæ exiguam quantitatem maſticaſſe & deglutiviſſe. Convenit aqua radicum glycyrrhizæ, vel aqua paſſularum, vel aqua ex infuſis parvis taleolis radicum enulæ campanæ. Convenit majorana, hyſſopus, tuſſilago, decocta in butyro ferventi unà cum ovis conquaſſatis. Conveniunt alia multa.

CA-

CAPUT XI.

De capitis dolore arcendo.

IS, qui non eſt oblitus eorum, quæ magis generalia viſa, & cap. I. hujus quartæ partis ſunt expoſita; qui caput mundum & transſpirabile ſervat, quod præſtant lenes perfricationes capitis; qui ſalviam, vel pulegium, vel thymum, vel majoranam, vel calamintham, vel quid ſimile, ſiccum potiùs, quàm viride, ſæpe manibus tractabit & olfaciet; qui folium ſalviæ ſiccæ, vel betonicæ, vel majoranæ, aliquando naribus indet trahetque ſpiritum per media folia ſicca hujuſmodi, ſimiliumque herbarum; qui aliquando camphoram olfaciet, vel ejus aliquid devorabit ad gr. I. vel alterum; quive ſpiritu vini optimo, in quo maximè comæ roriſmarini fuerint infuſæ, clauſis oculis ora perfundet, ſpiritumque trahet per manus hujuſmodi ſpiritu vini madidas, difficulter capitis dolore tentabitur, ſive, quod idem eſt, facilè a dolore capitis erit immunis.

CAPUT XII.

De doloribus articularibus præcavendis.

COmplures eorum, qui redierunt e caſtris Budenſibus, de doloribus vagis articulorum, ſine tamen tumore ullo, conqueſti ſunt;

ac

ac proinde viſum eſt, aliquid pro his etiam addere.

Hi vitare debent acida & ea omnia, quæ facilè acorem concipiunt. Qui verò ab his non poteſt omnino abſtinere, ſaltem aliquid detrahat quantitati eorundem. Eorem autem debet ipſis familiarior eſſe uſus, quæ acidum combibentia a medicis pleriſque nuncupari ſolent; cujuſmodi ſunt pulvis oculorum cancri, & teſtarum cancri exſiccatarum & contuſarum, pulvis cornu cervi, & alia hujuſmodi. Conveniunt ipſis ſpirituoſa, & aromatica oleoſa, ſerpillum, calamintha, cinnamomum, nux moſchata. Si vino fuerint aſſueti, poſſunt vino uti, abſtinendo a nimia quantitate, & vitando ea vina, quæ facilè in ventriculo in acetum convertuntur, vel bibent cereviſiam potiùs. At ſi vino non ſunt aſſueti, poſſunt commodè uti aqua pini reſinoſæ, vel aqua lentiſci, vel poterunt uſurpare aquam maſtichinam, quæ fit infundendo maſtiches grana in aquis; quin & prodeſt etiam, maſtiches vel thuris grana devorare. Pro cibis conveniunt raphani domeſtici; conveniunt armoraciæ radices cum pane; conveniunt apia, petroſelinum, & ſimilia. Partibus autem, quibus magis timent, extrinſecùs convenit aliquando applicare ſpiritum vini, in quo maſtiches grana, vel lauri baccæ, priùs juſto tempore fuerint infuſæ. Pro iis autem, qui jam incipiunt articulo aliquo dolore, placet addere, quod, præter ſupra dicta, expediat partis calorem fovere; quod probè fit addito panno lineo

lineo juſtæ amplitudinis. Quod ſi in hoc panno paucæ guttulæ terebinthinæ extendantur (ſufficit quæcunque exigua quantitas ſive therebinthinæ, ſive picis mollioris major enim quantitas eſt inconveniens & obeſſe poteſt) medicamentum erit multò efficacius.

CAPUT XIII.

De iis, quæ dignoſcuntur in ore, & in lingua.

EOrum, qui in caſtris jam jam ſunt ægrotaturi, frequenter multa ſigna deprehenduntur in ore, & in lingua. Aliis enim os, & lingua, eſt ſiccior, etſi boni coloris. Aliis limoſi quid & glutinoſi ineſt ori, & ſaliva minùs fluit. Aliis tenaci & viſcida pituita dentes obducuntur. Aliis lingua non eſt lævis, ſicuti ſolet eſſe homini & cani; ſed eſt aſpera, ſicuti ſolet eſſe feli. Aliis albicans, aliis ſubflava eſt; & non paucis nigra, & fuliginoſa quadam cruſta fauces & lingua obteguntur. Sunt etiam, quibus copioſior eſt ſalivatio, & ſputum habent copioſius; atque poſtremi iſti faciliùs quartana, aut tertiana, vel ſimili alia febre corripiuntur.

Hi omnes, niſi cauti ſatis atque ſatis fuerint, & in ſui conſervationem multò magis diligentes, quàm priùs, fuerint, morbos graves debebunt exſpectare. Curiosè igitur videbunt, in quo peccaverint, quidve in corporibus eorum factum fuerit vitii: an aquis impuris fuerint

uſi; an victu alieno ab indigentia naturæ; an aëre nebuloſo, vel rorifero; videbunt, an alvus ipſis fuerit laxior, vel adſtrictior; an ciborum appetitus dejectus; Quibus occurrent, ſicuti alibi in hoc libello dictum eſt.

Quibus lingua eſt ſiccior, & quibus ſaliva minùs fluit, maximè convenit uſus ſalis prunellæ, bis terve in die, ad magnitudinem granorum trium, vel quatuor: videlicet grana tria vel quatuor ſalis prunellæ in ore habeantur, & lingua hàc illac moveantur, deglutiendo interim ſalivam. Vel ſalis prunellæ drach. ſem. permiſceatur dimidiæ menſuræ aquæ optimæ, qua homo pluribus vicibus utatur. Vel eadem quantitas ſalis prunellæ permiſceatur ſyrupo alicui proportionato; exempli gratia, fructuum mororum, aut rubi idæi, cujus aliquid per intervalla ſumatur. Item aliis atque aliis rationibus ſumtus ſal prunellæ prodeſt. Similia dicere poſſum de ſale ammoniaco.

Podeſt etiam his aliquando aluminis rocchæ aliquid ore detinere ad proliciendam ſalivam, & ad reſtituenda multa organa oris & faucium in meliorem ſtatum. Propterea etiam convenit, frequenter os abluere aqua, cui exigua quantitas vini ſit adjecta: (illi, quibus os videtur amarulentum, poſſunt adjicere acetum) nam ſic etiam, præter multa alia beneficia, multa organa oris, & faucium in meliorem ſtatum reſtituuntur. Aliquibus ad hæc etiam utilis eſt aqua, cui ſpiritus vini vel cereviſiæ ſit additus.

His quoque conveniunt nuces juglandes acerbæ & nimis immaturæ una cum corticibus,

quæ

quæ priùs macerantur, & coquuntur in aquis; poſtea condiuntur melle vel ſaccharo. Etenim, cum ſaliva minùs fluida eſt, timendæ ſunt alicubi obſtructiones & inflammationes; timenda ſunt alia apoſtematum genera, quæ uſu nucum juglandium conditarum præcaventer. Proſtat apud pharmacopœos rob nucum; proſtat rob ebulinum, & rob ſambucinum; quibus multa oris vitia emendantur, & ſaliva fit fluidior: quin & florum recentium ſambuci ovis conquaſſatis & in butyro ferventi coctis permixtorum utilis eſt uſus.

Cæterùm illis, quibus copioſior eſt ſaliva, & liquidior, convenit minus bibere, aromaticis uti, & grana piperis aliquando devorare; veluti dictum eſt, cum de quartana arcenda locutus ſum.

FINIS.

TRACTATUS MEDICUS
DE
MORBIS
CASTRENSIBUS INTERNIS
AD
AUGUSTISSIMUM MONARCHAM.
CHRISTIANUM. QUINTUM,
PIUM. JUSTUM. VICTORIOSUM.
Authore.
JOHANN. VALENTIN. WILLIO.
Medico Regio Caſtrenſe.

MEDICÆ. FACULTATIS.

IN. REGIA. ACADEMIA. HAFNIENSI.

DECANUS. ET. PROFESSORES.

L. S.

CLariſſimum virum, Dominum JOHANN. VALENTIN. WILLIUM, Medicum eruditum, hactenus, quamdiu inter nos vixit, ita amavimus, ob ſingularem eruditionem, rerum uſum inſignem, & ingenii facilitatem, quam quotidiana conſuetudine, & ex ſcriptis, & nupera diſputatione publica (*tractatus hujus ſynopſi*) non ſine applauſu Auditorum habita De MORBIS CASTRENSIBUS, quos accuratè & ex methodo expedivit, perſpeximus, ut illum jure meritiſſimo de optima nota commendare debeamus ſummis Mæcenatibus, qui ſtudia illius, publico bono conſecrata & non paucis experimentis probata, promovere dignantur, plenioremque exer-

cendæ Medicinæ materiam in Caſtris gratioſe illi ſubminiſtrare, nulli dubitantes, quin maſcule Spartam concreditam ſit ornaturus, in DEI omnipotentis gloriam, Regii exercitus commodum, & propriam famam. Votorum ſumma eſt, ut cuncta ægrotis & ipſi feliciter eveniant. Hafniæ III. Aprilis. cIↄ Iↄc LXXVI.

Sub Facultatis Medicæ Sigillo.

APPRO-

APPROBATIO.

CLariſſimi Viri Dn. Joh. Valent. Willii De Morbis Caſtrenſibus *internis, eorumque Curatione methodica & facili, per medicamenta* εὐπόριστα *& ubique parabilia, Diſſertationem Medicam doctam pariter & nervoſam fugienti oculo perlegi, dignamque judicavi quæ, Arnoldi de Villa nova & Mindereri conatus egregios ſupergreſſa, typis publicis per ora hominum, præſertim caſtrorum incommodis expoſitorum, volitaret, temporibus his peropportuna, quibus morborum cohors terris caſtrisque, vitæ caſtrenſis culpa, incumbit, dum fatis cruentis cœlum omne vacat. Hafniæ* xx. *April.* cIↄ Iↄc Lxxvi.

Th. Bartholin.

SIM-

SIMONIS PAULLI

EPISTOLA
VOTIVA
AD
JOHANNEM VALENTINUM WILLIUM.

Σὺν Θεῷ.

Clariſſimo Viro

DNO. JOHANNI VALENTINO WILLIO patriâ Alſato Colmarienſi, Medicinæ Licentiato,

Ser. Reg. Maj. Daniæ ac Norwagiæ, &c. Medico Caſtrenſi,

S. P. D.

UT ii, qui aromata ſubinde contrectant, aut ſuis verſant manibus, nunquam ex aromatariorum tabernis abeunt, quin non & ipſi aromata ſpirent: ſic quoque cum præclari ingenii juvenibus, ſalem qui habent, com-

comparatum eſt, dum domeſtico uſu & neceſſitudine quotidianæ vitæ vivorum Præceptorum fruuntur, ut nunquam niſi doctiores ab iis abeant; vel dum eorundem mortuorum commentaria, pervicaci operâ & ſtudiô, nocte intempeſtâ ad lampada, replicant aut excutiunt, ut & illi oleum potius, quàm vinum, redoleant.

Hos inter *Clariſſime Vir*, *Domine Willi*, meritiſſimo tuo, profiteres nomen; dum ex commentariis tuis, præmorſos ungues & calamos ſapientibus, elucet, quibus vel vivis vel mutis præceptoribus, ſumptâ virili togâ, uſus es, ut iis ſive audiendis, ſive legendis, artis noſtræ inſtituta perficias gnaviter. Quod enim *Cicero* olim in Marco Filio deſiderare viſus eſt, annum audiente Cratippum, idque Athenis; nempe ipſum abundare oportere præceptis inſtituriſque Philoſophiæ, propter ſummam & Doctoris auctoritatem & urbis; id tu abundè reapſe præſtas, dum amplius annum abhinc, *in hoc Athenæo, ſive in Celeberrimâ Regiâ hâc Hafnienſi Academiâ*, inter alias finitimas,

--- --- velut inter igneis
Luna minores,

micante; ſummis in eâ ac celeberrimis Doctoribus, in arte noſtrâ Roſciis, *Bartholinô & Borrichiô*, uſus; Naturam Medicam non per-

* fun-

functoriè (agnoſcis tuum ipſius ſive ſermonem, ſive tua verba) ruſpatus es : quorum alter in Anatomicis ſtudiis, alter in Chymicis tibi præluxit. Atque hinc perpetuæ tibi erit laudi, quod religio tibi fuerit, cruda adhuc tua ſtudia (loquor cum *Satyrico*) in forum propellere, ſed maturo judicio demum, exaſciata tua commentaria, quæ præ manu habes, typis exprimenda curare, ac eruditorum cenſuræ publicitus ſubjicere contendas; quò, inſtar Hermarum, viam, artis noſtræ tyronibus aut Hippocrateis novis, monſtres; quam ubi ingreſſi ſunt, deinceps non titubante gradu, ipſa ad Medicinæ adyta, artium omnium nobiliſſimæ, alacres poſſint pergere: quippe *Hippocrates* noſter, per Apollinem Medicum, & Æſculapium, Hygiamque & Panacæam, jure jurando affirmat, & Deos Deasque omnes teſtatur, ſe præceptorem quidem parentum loco habiturum, ejusque poſteros apud ſe eôdem locô, quô germanos fratres, fore eosque, ſi hanc artem (intelligit Medicam) addiſcere velint, absque mercede & Syngraphâ edocturum &c.

Quin & ego horum omnium memor (jactone me? Sed præfiſcinè dixerim.) ſtudiô tibi meô hodie, quamvis veteranus & propemodum capularis Senex, non deeſſe, neu in me tibi; neu antehac aliis honeſtiſſimô locô natis Juvenibus, ſive indigenis, ut *Horſtio*; *Langlothio*; *Kirſtenio*; *Marggraviis germanis fratribus*;

bus; *Knophio*, *Floræ meæ Danicæ interpreti & amanuenſi*; *Bordingio*; *Rhodio*; *Lyſero*; *Stenonio*; *denique Prottenio*, &c. pronuper vitæ pauſam qui fecit ſuæ, commodum claudier unquam paſſus ſum ullum. *Tibi*, *perdocte Willi*, pro re natâ, ſeu filii ſeu fratris loco dilecte, totô pectore fauſta ac felicia omnia comprecans; atque adeo ut, cum Comicus velit:

Virtute ambire *oportere* non favitoribus,
Sat *habere* favitorum, ſemper qui rectè facit;

Tu illi morigerus, vel noſtrô hôc ſeculô corruptiſſimorum, eheu! morum, non donis ullis viſcatis aut hamatis; non pretioſis toreumatis, gemmis redimitis & aurô, ceu cingulis fulgentibus circumdatis; non Syngraphâ aliquâ; vel denique manu, præſenti pecuniâ refertâ, multis ſæpè quæ, *Plauto* teſte, ſuaſit perperam, patronorum tuorum, non emendicatis, ſed enucleatis ſuffragiis, ſolâ virtute tuâ & arte, inſtar Arionis aut Biantis alicujus confiſus, Deo Duce & auſpice Deo, extorris patriâ, remotus ab amicis, pronuper *Sereniſſimi ac Potentiſſimi Daniæ ac Norvagiæ*, *&c. Regis ac Domini Domini noſtri clementiſſimi*, (*vivat! vivat! vivat! & regnet in æternum*, *Septentrionalis hic Monarcha* CHRISTIANUS QUINTUS,) Copiarum, aut Caſtrenſis Medicus renunciatus, Spartam, quam nactus es, condignè ornes.

 Atque

Atque hæc omnia à me; inſuper MORE MAJORUM; FELICITER! FELICITER! acclamanti & applaudenti tibi, ſæpe, inconditi, prolixi, aut ſesquipedem longi Carminis loco, tibi habeas aut ſerves velim; Carmen votivum à te rogatus; Carminibus pangendis qui nunquam ſtudui, ob *Horatii* illa:

--- --- neque enim concludere verſum,
Dixeris eſſe ſatis;

ut taceam, Sophos perhibere, non arte fieri ſed naſci Poëtas.

Interim tamen unici verſiculi me authorem, eôque inter alia moralia Chriſtiana, deauratis literis, convenienti loco, compluſculis abhinc annis, cubiculum exornaſſe me meum, non diffiteor; ut me, manè oriente ſole, veſperi eô occidente, erigeret patremfamiliâs, *Ennii Patris* inſtar, exigua in re: quippe vel *Ciceronem*, Politicorum Patrem atque Principem, hoc malè habeat, quod homines magnis ac multis incommodis conflictentur, propter immenſam pecuniæ cupiditatem: verba autem mei verſiculi, poſthabitis omnium Ethnicocorum ſententiis, idem portendunt, ſalvis aliorum punctis, quod *Regius Propheta David* in ſuis Pſalmis paſſim, ſed indignabundus: impiis,

piis; vafris; fraudulentis; verſipellibus, aut rotâ figulari verſutioribus; mendacibus ac perjuris denique omnibus,

> Omnibus in terris, quæ ſunt â Gadibus usque
> Auroram & Gangen, &c.

interminatus eſt veridicus, nempe:

> Impius, ut Laurus, juſtus, ceu Palma virebit.

In quo meo verſiculo, bono omine hic loci, tui amore, *Clariſſime Willi*, deſino, optans, ut tu, ceu Palma, perennes jugiter; ſeris Nepotibus umbram facturus ac grandævus corporeis tandem ſolutis vinculis, noviſſimo mundi illo decretorio die, olim reviviſcens, lætam illam vocem, mecum una cum omnibus electis, audias: *Euge Serve ſidelis, introito in Regnum Cœlorum.* Vale. Dabam Hafniæ Anno 1676. 6to Aprilis mihi natali.

Tuus usque ad aras & urnam
Simon Paulli, Sim. Nep. Henr. Fil.

Trium Sereniſſimorum ac Potentiſſimorum Daniæ ac Norwagiæ Regum, Medicus; praxin medicam per quadraginta & ſex annos exercens; natus ipſos ſeptuaginta & tres; Paullinæ Sue-

Suerinenſis familiæ per ducentos & amplius annos, quæ inclaruit, Nepos ultimus; decem, Fabriciâ conjuge, filiorum, quinque filiarum Pater, vitæ ac ærumnarum ſatur; ſenectute languidus, *Divo Apoſtolo Paulo ad Philippenſes monitore*, Mundana omnia ſpernens, in cœlum ſuſpiciens.

ELENCHUS CONTENTORUM.

Cap. I. De ſanitate & morbis in genere. 1
II. De morbis caſtrenſibus in genere. 4
Definitio. 4
Cauſæ. 4
Subjectum. 6
Differentiæ. 7
Signa. 9
III. De morbis caſtrenſibus in ſpecie. 10
Peſtis. 10
Febris maligna. 14
Scorbutus. 18
Lues Gallica. 21
Catarrhi. 24
Debilitas ventriculi. 27
Alvi profluvia. 29
IV. De præſervatione morborum caſtrenſium in genere. 33
Præparatio ante ingreſſum in caſtra. 33
Aër caſtris conveniens. 36
Victus caſtrenſis. 38
Labor & vigiliæ. 43
Excretiones. 44
Animi pathemata. 46
V. De præſervatione morborum caſtrenſium in ſpecie. 47
Peſtis. 47
Febrium malignarum. 50
Scorbuti. 52
Luis Gallicæ. 56
Catarrhorum. 58
Ventriculi debilitatis. 59
Fluxuum alvi. 61

Cap.

Cap. VI. De curatione morborum caſtrenſium in genere. 62
De medico caſtrenſi. 62
Diæta. 63
Pharmacia. 65
Chirurgia. 70
Methodo. 72
VII. De curatione morborum caſtrenſium in ſpecie. 73
Peſtis. 73
Febrium malignarum. 76
Scorbuti. 80
Luis gallicæ. 82
Catarrhorum. 86
Debilitatis ventriculi. 90
Fluxuum alvinorum. 92
VIII. De curatione ſymptomatum. 97
Notanda. 97
Capitis. 97
Colli & thoracis. 99
Abdominis. 101
Artuum. 102
Excretionum. 102
Cutaneorum vitiorum. 103

CAPUT I.

De Sanitate & Morbis in genere.

§. I.

QUisquis ut Medicus curam ſanitatis ex arte habiturus eſt, ejus naturam non perfunctorie ruſpetur oportet. Non ea ex imaginatione quorumlibet, ſed ex ipſa natura intelligitur. Cujus via ſimplicior quidem eſt, quam tritior. Unum erat Ariadnes filum, quo Theſeus ſalvaretur in labyrintho. Ita unum medium, quo humanæ ſanitatis reſerantur abyſſi, ANATOMIA videlicet, tam quæ ſcalpello peragitur, quam quæ ſpagiria. Partium compoſitarum numerum, magnitudinem, ſitum, connexionem, figuram, aliaque, offert ſenſui Profector. Subtilius dividit Chymicus illas, & in principia conſtitutiva reſolvit, ea ſenſuum teſtimonio evincens, quæ abſtruſa, quæ ignota prius fuere.

§. 2. Utriusque Anatomiæ beneficio certum eſt, ſanitatis rationem temperie, organo & unitate legitimis partium ſingularum circumſcribi, probabilem ex actionum, excernendo-

rum qualitatumque ſinceritate, neceſſariam ex cauſis & principiis rite tum conſtitutis, tum operantibus. Ex quibus iis debetur primatus, quæ liquorem humano corpori abſolutè neceſſarium componunt. Sunt ea demonſtrabilia quinque. SPIRITUS, ſeu portio liquida ſubtiliſſima, tum acida, tum ſalſa, cui impetus, cui motus adſcribitur. OLEUM ſive pars inflammabilis, & tenuior, & craſſior, cui caloris propagatio & conſervatio debetur. SAL fixum oppido quidem paucum, at volatile multum, unde vigor, unde landabilis conſiſtentia. AQUA, quæ humiditatem, & TERRA, quæ requiſitam firmitudinem largitur. Quæ decenti quantitate ita coëunt, ut, dum volatilia fixis, liquida ſolidis, proportione juſta adſunt, dum per ſe non miſcibilia interventu aliorum unionem non reſpuunt, dum paſſiva activis decenter obtemperant, ſanguis fluxilis, impetuoſus juſteque temperatus conſtituatur, à quo, cum abſumptæ partium continentium ſymbolicæ particulæ legitimè reſtituuntur, & humores aliorſum, ſeu poſitive ſeu privative neceſſarii ſegregantur, non poteſt non ſanitatis princeps illa ſpecies, quæ temperiei dicitur, reſultare.

§. 3. Hanc contra toties corrumpi, morboſque tam intemperiei, quam organicos, atque etiam quoſdam communium oriri, per actionum, excretorum, qualitatumque vitia ſe prodentes, neceſſe eſt, quoties vel partes, ſive pubico ſive privato munere fungentes, violentioribus cauſis ſuccumbunt, vel principia ſanguinis, reliquorumque ex hoc Oceano ſcaturien-

rientium humorum, vitium contraxere ſubſtantiæ, quantitatis, qualitatis, loci, motus. Id quod innumeris propemodum modis contingit. Poſſe enim illa, tum per ſe conſiderata, tum quatenus aliis & collata & mixta ſunt, corrumpi, alterari, concitari, figi, ſublimari, evehi, pugnare, congredi, ſecedere &c. experimentorum fide conſtat. Quare, dum per mutationes haſce p. n. partium robora labefiunt, laxantur fibræ, vitiantur meatus, dum humorum proportio juſta tollitur, mixtura temeratur, qualitates franguntur, conſiſtentia rumpitur, motus peccat, quid mirum non nutriri, non vigere corpus? non ſecerni debita? verbo, non fieri in homine naturalia?

§. 4. Quemadmodum autem ſanitas per ea, quæ ad partium & humorum convenientiam ambiunt corpus, in id ingeruntur, ex eo egeruntur, & ab eodem geruntur, conſervatur; ita hiſce contraria diæta concutitur ea, labefactatur, corruit denique, tanto quidem & citius & periculoſius, quantò externa delicta, cum plura, tum majora, in idem exitium conſpirant. Hinc, cum nuſpiam minus ac in militia exactum rerum n. n. regimen obſervari queat, ubi fatigatis ſæpe humus cubile eſt, cibus quem occupant ſatiat, potus turbida aquarum colluvies, tempora ſomni arctiora quam noctis, & quæ tandem quæſo non moleſtiæ devorantur, non poteſt non graviſſimorum morborum Lerna caſtra invadere, ſive ea moveat Imperator, ſive metetur, quorum vis non minores hactenus per obem, quam voraciſſimum ferrum, edidit ſtrages. De

quorum frequentioribus hac diſſertatione occupari, operæ pretium viſum eſt nobis.

CAPUT II.

De morborum caſtrenſium natura in genere.

§. 1. VOco morbos caſtrenſes non ſporadicos illos, quos nonnulli militum ex privatis cauſis patiuntur, qui vel è communibus cauſis orti pleroſque invadunt, vel, privatim ab aliquibus allati, in ſyſtratiotas contagio multiplicantur ita, ut publico dein maleficio graſſentur. Caſtrenſes etiam voco ſecundum quid, non abſolutè, ſcilicet, non quod ſocietatibus urbanis paganiſque ſemper parcant, ceu ſolis pullis Martiis inſidiantes, ſed quod præ aliis locis caſtra frequentent, ob neceſſitatem in diætam peccandi, & tenacius amplectantur, tum ob fomenta malorum, tum contagii in commilitones promptitudinem, & difficilius deſerant, ob ſanationis impedimenta varia. Si quis hos militares, martiales, vel quocunque nomine, vocare velit, per me licet, qui tales hic morbos intelligo, *qui affectus ſunt p. n.*, *qui iidem complures militum eorundem caſtrorum graviter lædunt*, *ex partium*, *ſpirituum & humorum*, *vitiis*, *ob cauſas externas communes exortis*, *orti.*

§. 2. Cauſas horum in genere in militia venari, nimis eſt facile. Farrago externarum, à quibus

quibus internæ fiunt, enormis eſt. Promto corpore aëris per ventos, per tempeſtates, per tempora, per loca, per ſidera, per contagia, mutationes excipere. Jam fame, jam ingluvie, torqueri, eſurire per vices & tuburcinari, ſiti uri, diffluere crapula, non ſubſtantia, non quantitate, non qualitate, non tempore, non conſuetudine, metiri ingerenda. Laborum & vigiliarum horas, modos, convenientiam, negligere, nullam ſine incommodo quietem, rarum legitimo loco, ſitu, tempore, ſomnun videre. Sudore jam diffluere, jam conſtringi impedito, mox laxiorem alvum, mox ſtrictiorem, minus convenienter curare, & ſanam turbare, Cypriæ ſacra importune vel facere, vel differre, tum urinæ vitiis, tum reliquorum, quæ excerni deberent vel retineri, ſubjici. Angi denique animo, marceſcere ſolicitudine, livore corrumpi, tabeſcere odio, cupiditatibus flagrare, irâ (de qua diſſertatione inaugurali Argentinæ 1671 occupabamur) agitari, uri, furere, gaudiis abuti. Hæc militaris diæta, hoc vitæ genus. Ex tot erroribus non pauciores cauſæ internæ exſculpuntur, quæ vel remotiores ſunt, vel propiores. Alteratur quippe totum cum partibus corpus, caloris, frigoris, humiditatis, ſiccitatis, &, quoniam hæc Hippocrati non ſufficiunt, acidi, amari, auſteri, pontici, ſalſi, aliorumque ſexcentorum, exceſſu. Inde viſcera, præſertim quæ publico in officio conſtituta ſanguinis vel materiam præparant, vel perfectionem machinantur, vel ſpiritus ad nobiliſſimos uſus elaborant, vel excrementa, ſive utilia

ſive inutilia, ſequeſtrant, reqviſito vigore excidunt, craſi ſua, conformatione & unitate variè læſis. Porro humores, præſertim ſanguis, reliquorum parens, ſubſtantiæ, quantitatis, qualitatis, motus, vitia incurrunt, ſeu, ut ſcapham ſcapham appellem, ita diſponuntur p. n., ut ſpiritus acidus vel intendat ſpicula, vel remittat, vel commutet, ſalinus vel efferveat, vel eat in vappam, oleum vel incraſſetur nimium, vel rarefiat, vel infidelius adminiſtret calorem concreditum, ſal volatile aut deficiat, aut ſylveſtreſcat, aut figatur, aut ferociat, fixum, quantulum tandemcunque eſt, vel hebeſcat, vel præcipitetur, vel reddatur acrius, aqua tum excedat mole, tum incraſſetur, ſeparetur, ebulliat, terra in limoſas fæces glomerata & divortium à reliquis faciat, & volatilioribus obſit, & anguſtias occludat; è quibus liquoris vitalis, dein & fermentationum, & vappeſcentiæ, & aceſcentiæ & concretionum, & reſolutionum, & corruptionum innumeræ varietates pullulant neceſſario, tanta morborum progenie meritiſſimo infames.

§. 3. Cur morborum horum ſubjecta caſtra dixerim, ex præmiſſis patet. Non hic, ob communem deliquendi neceſſitatem, officio parcitur, non ætati, non temperamento. Sunt tamen inter milites, qui facilius, ſunt qui difficilius invaduntur. Qui habituali ſunt ſanitate, minus prompte morborum ſemina admittunt, admiſſa citius amittunt; at quorum valetudinem minus firmavit natura, turbavit diæta, prægreſſa debilitavit infirmitas, ii ſunt, in quos faciliori impetu arietat morbus, præſertim ſi, inſa-

inſalutata prius Hygiæa, in militiam itum ſit, ſi in errores plures incidatur, ſi admiſſorum deficiat correctio. Infeſtantur autem, tum primario, tum ſecundario, & partes ſolidæ, & humores, utrisque in alterutrius calamitatem prompte conſpirantibus. Ab inſpirato aëre, qualicunque miaſmate fœto, quacunque intemperie pravo, ſanguini alterationes prompte inferuntur; quem & non minus ambientis inconvenientia lædit, dum vel vitioſus poros ſubintrat cutis, vel craſſior obſtruit. Alimentorum peccata canalis luit alimentarius, luunt aëris viæ & aquarum, receptacula denique luunt ſanguinis, ſive truncos ſpectes, ſive anguſtias; quæ neque mitius ferunt humores neceſſarii, mirum quantum peccatis motus, quietis aliarumque rerum n. n., obnoxii. Ut verbo me expediam, univerſalibus morbis ipſe ſanguis primariò ſubjicitur, particularibus partes, in quos morbifica cauſa impetum fecit & admiſſa eſt, non rejecta fortius.

§. 4. Sunt morborum horum caſtrenſium nonnullæ etiam differentiæ. Licet enim communes ſint, & magnam eorundem caſtrorum partem iidem invadant, ex communibus graſſantes occaſionibus, alii tamen contagii labe nullos contaminant, ut ventriculi debilitas, alii contagii ſerpigine ad plures funduntur, nimirum dum principiorum corporis magna fit corruptio, eademque, ſive ſalina ſint, ſive oleoſa, ſive ſpirituoſa, partem ſui alii corpori communicant, portio hæc activa, penetrans, immorans, niſi ejiciatur ſedulo, maſſam ſani etiam

corporis agitat, movet, fermentat, ſibique reddit ſymbolica ſimilia, unde idem in alio reſultat morbus. Contagioſos hos morbos duplices militia videt. Quosdam vitia externa univerſalia primùm totis caſtris intulerunt, epidemiorum nomine alias notos, v. gr. quando vel ira Dei, vel intemperie cæli, vel corruptis aquis commeatuque, vel noxiis terræ halitibus, peſtis oritur. Quosdam privatim attulere quidam aliunde, at ſparſis contagii ſeminibus in publicas deinde calamitates diffuderunt, ſine cœli, ſive victus vitio, dum perdita una pecus inficit omne pecus. Ita quorundam venerea lues olim omnem propemodum exercitum Gallicum & Neapolitanum corrupit. Alii maligni aliquid in ſinu fovent, alii benigni ſunt. Variant etiam malignitatis, contagii, periculi, magnitudine, tum inter ſe, tum cum aliis collati, ſcilicet prout vel partium craſis, formatio, continuitas, vel humorum ſubſtantia, qualitas, moles, relatio, aliaque neceſſaria, à ſtatu naturali magis vel minus receſſerunt. Mitior catarrhus eſt peſte, gravior dyſenteria imbecillitate ſtomachi. Nonnullis tempora chronico gradu ſerpunt, ut ſcorbuto, aliis celeritur currunt, vehementer, & periculosè, ut malignis febribus, licet & hi acuti ſua quoque conſueta diſcrimina, experiantur. Omnia pro cauſarum, moris, ſubjecti, diverſitate. Quidam interni ſunt, ut lues venerea, quidam externi, ut vulnera, fracturæ, &c. Adſunt aliquibus non niſi propria ſymptomata, aliquibus, ob plurium morborum complicationem, peregrina etiam & varia.

§. 5. Num

§. 5. Num ægrotet miles? & quo malo? ex actionum pravitate, excretorum vitiis, qualitatibus mutatis, iis quæ præceſſerunt, juvantibus etiam & lædentibus, prout ratio cujusvis morbi poſtulat, videre eſt. Frequentiorum dabimus diagnoſin inferius. An vero morbis ejusmodi internis (plerique enim externorum, præliorum & oppugnationum ſunt conſequentiæ) caſtra invadentur? prænoſcitur ex conſideratione tum militum, tum ipſorummet caſtrorum. Illos ſi videris arcto contubernio cum infectis jungi, in ſordibus volutari, victu vitioſo immergi, opera & laboribus frangi, alterationibus ſubitaneis moveri, ſalubria negligere ſive ſponte, ſive neceſſitate, quid aliud conjectabere paſſuros, quam violentiam morborum? tantò ſane graviorum, tantò certiorum, quantò errorum immanior fuerit nexus. Hæc, ſi ponantur temporibus non opportunis, ſive tempeſtates anni ſpectes, ſive peculiarium aſpectuum malignitates, ſi locis inſalubribus, quæ vel juge frigus urit, vel vapor ſolis nimium accendit, vel incluſus hypogeis aër obſuſcat, vel putres ſtagnorum paladumque halitus inficiunt, nullo vento pervia, nulla ſiderum benignitate illuſtria, ſi ordine indecenti, ut impura mundiciei, pura rejectaneis, miſceantur, confundantur, eadem ſi minus providè tegantur, conſerventur, colantur, ſi perverſa temporis, locorum, ordinis, modi, & virium ratione, moveantur ſive tota, ſive per partes, quid aliud portendunt, quam morborum greges? Quomodo hi ſolvantur, ſpecialius

cialius dicemus, quanquam, quò plus virium ægri perdidere, quò vehementius, quò intimius, malum corpus penetravit, quò minus convenientibus ratione Medici, ægroti, aſtantium atque externorum, curatio inſtituitur, eò frequentius morte, quam ſalute, terminatur ægritudo. Si qui ſunt, quos criſis ſublatura videtur, rariſſime admodum huic licentiam errorum cumuli, etiam neceſſarii militi, indulgent perfecte operandi. Non mirum autem eſt, morbis ſemel preſſa caſtra, haud facile ab iisdem repurgari, repugnat cauſarum continuatio, vitiorum frequentia, contagiorum facilitas, plurimarum commoditatum, quas ſanus, quas æger, quas medicus deſiderat, defectus, & ſexcenta hinc reſultantia.

CAPUT III.

De morbis caſtrenſibus in ſpecie.

§. I. INter internos caſtrenſes morbos tot ſtragibus meruit primo loco nominari PESTIS. Intemperies illa totius maligna, contagioſa, epidemica, ex ſubita eaque peculiari humorum, ſpirituum & caloris corruptione, à cauſis vehementibus orta, graviſſime & lethaliter, præſertim vitales actiones, lædens, bubonibus, carbunculis & maculis conſpicua. Conſiſtit hæc corruptio *tum* in humorum repentina putrilaginoſa reſolutione, quando ſpiritibus acidiuſculis vappa, ſalſis ferocia, ſalibus degener ſubſtantiæ modus volatilibus, fixis vola-

volatiliſatio aut angulorum obtuſio oleo ramorum imminutio & tenuitas nimis ſpirituoſa, aquæ poris dilatatio, peregrinaque continenda varii generis, inducuntur, unde, ſoluta humorum compage, vinculis diſcordibus, temere illi fluitant; *tum* in ſubitanea eorundem coagulatione, cum acidis p. n. incrementum, decrementum ſalſis, penuria volatilibus, fixis & craſſis ubertas, ſulphuri pix aut colophonia, phlegmati acida crasſities, glacies, fluidis ſtagnatio, terræ tenacitas nimis argillacea adaugetur, quare, denſantibus ſe fibris, nimio glomeramine humores ſtringuntur, ferali putredine reſolvendi, indeque in caloris naturalis deſtructione ſubitanea, quando vel illius cauſæ excitantes minuuntur, quod fit per ſpirituum abſumptionem & fixationem, ſalſorum contrariorum corruptionem, inſtrumentorum generationis & motus intemperiem malignam, vel ſubjectum ſuſcipiens inhabile redditur, dum oleoſa legitimæ ſubſtantiæ, quantitatis, qualitatum & modi, faciunt jacturam, ſive corrupta in ſe, ſive contrariorum vi oppreſſa, dum ſpirituoſa malignis intemperiebus ſe ſubmiſere, vel paucitate peccant. Et, licet hæ corruptiones ſenſim ex cauſis, in ipſo corpore p. n. genitis, induci queant, non tamen peſtem propriè efficiunt, niſi vehementisſimæ, citisſimæ & ſtatim periculoſisſimæ, corpus invadant. Ita a cauſis externis caſtra peſtis invadit, tanto citius internas producentibus, quanto ſubjectorum diſpoſitio maligna & efficacia mia-

miaſmata facilius admittit, quæ dein fermentant, agitant, deſtruunt, ſibi asſimilant ea, quæ ad hæc apta inveniunt principia, unde maſſæ corruptio & caloris deſtructio ſequitur. Multum huc contribuit aër, & inſpiratus, & perſpiratus, tum ſalinis volatilibus corroſivis miaſmatis, qualia è cryptis arſenicalibus, antimonialibus vel mercurialibus, elevantur, tum acidioribus itemque narcoticis, congelatoriis, quales putreſcentium aquarum, vegetabilium, antrorum, aura ſpirat, halitibus, tum corruptisſimis oleoſis ſaliniſque particulis, quas fame, morbis, ferro, editæ ſtrages diffundunt, malignè prægnans, quo & malignorum ſiderum influentiæ referri ſolent. Multum poteſt cibus & potus, quatenus, ſive terræ, ſive aëris, vitio, veneni, ſeu reſolutorii, ſeu coagulatorii, vehementem vim fovet in ſinu. Veneficia plurimum quoque, poſſe, dum ſeminia venenata, Circea induſtriâ inventa, ſparguntur, non eſt paradoxon. Maxime omnium poteſt contagium, unde fere pro eſſentiali peſtis attributo cenſetur. E quibus cauſarum diſcriminibus patet, non omnem peſtem eſſe uniusmodi, ideoque nec uniusmodi ſymptomatis & ſignis ſtipari. Generalia quidem ſunt lapſus virium repentinus, contagium, reſpiratio læſa, anxietas, lasſitudo, apparentes bubones, carbunculi, maculæ. In ſpecie tamen, ubi reſolutio maſſæ venenata contigit, neceſſe eſt, æſtu interno corripi ægros, vigiliis jugibus, dolore capitis punctorio atque tenſivo, lasſitudine ulceroſa,

ceroſa atque principum facultatum læſionibus, affligi. Torqueri etiam tuſſi, anorexia, nauſea, vomitu, ſiti, pulſum eſſe inæqualem, mox ferocire febrem, mox remittere, oculos rubere, genas mutare phlogiſtos colores, areſcere linguam, purpurari cutem maculis, frequentiores fieri anthraces. Hæmorrhagias oriri, aliquando diarrhœas, tingi aliquantò urinam. Ubi coagulatio maligna invaluit, contingit patienti æſtus febrilis abſentia, horror & refrigeratio, partium convulſio, membrorum contractio, ſopor comatoſus, capitis gravitas, tuſſis humidior, ſcreatus continuus, lentor faucium, pulſus debilis, inæqualis, parvus, faciei & partium livor, ſudores frigidi, urina ſanorum ſimilis, bubones frequentiores. At cum coagulatio illa p. n. non poſſit putreſcens non reſolvi, &, deperdito reſolvente, viciſſim reſolutio primum inducta coagulari, fit, ut magna ſubinde ſymptomatum fiat commutatio & varietas. Ut verbo me expediam, nihil morborum eſt, quod peſtis ſymptoma fieri nequeat. Qui ergo certus ſum, peſtene laboret miles? ſum utique ex cauſarum vel prægreſſu vel præſentia, ex infectorum eodem modo multitudine, ex morbi ipſius celeritate, violentia, ſignisque generalibus, quorum intuitu reliqua ſymptomata facile qualificantur. Imminentis caſtris peſtis, præter cauſarum prægreſſum, indicia empirica afferuntur varia, v. gr. inſolita locuſtarum, ſerpentum, muſcarum, multitudo; ſtrata paſſim animalium cadavera; frugum fructuumque illorum locorum

flac-

flacciditas; ecclipſes; maculis extuberantes ſolis efflorcſcentiæ; cometæ; ſtagnorum viror; panis recens coctus ſub dio per noctem expoſitus, mucidus factus, vel in rore matutino maceratus, cujus eſu animalia intereunt; aqua, in qua vitriolum ſolutum, & ferrum candens extinctum, poſt moram ſub dio cuticulam ſuperficiei induens; carnes, panes, poma, mucorem vermibus ſcatentem concipientia; & plura. Cæterum cum morbus ſit acutisſimus, non licet temerè laboranti ſalutem promittere; quò tamen vel pauciora vel leviora ſymtomata infeſtant; quò bubones celerius & felicius erumpunt, non retrocedentes; quò vires, poſt eruptionem exanthematum & ſudoris, ſibi conſtant magis; eo curationis major ſpes, intra quatriduum vel ſerius, exſpectatur. Ubi contraria fiunt, apparentibus carbunculis caudatis, augeſcentibus, nervoſis partibus imminentibus; ubi vel hi, qui bubone alias graviores, leviores maculis, vel iſti retroceſſerunt; ubi virus in ſanguine majus, vigor minor eſt, medicaminaque ingeſta ſtatim rejiciuntur; in proquinquo mortem ſcito.

§. 2. Gradu peſte minor eſt FEBRIS MALIGNA, tantò illi vicinior, quantò vehementior maſſæ eſt corruptio. Eſt hæc febris, intemperies totius calida & maligna, ex maſſæ ſanguineæ reſolutione nimia, ſpirituum deſtructione, & ſuccedente congelatione inducta, facultates magis, quam pro febrium natura, lædens. Cauſas habebis, ſi eas, quas §. priori dedimus, paulo mitiores intellexeris, ſcilicet, ubi ſal humo-

ris

ris vitalis, ſive aëris, quatenus tum maligna miasmata corpori infert, tum poros craſſior occludendo fulginum evacuationem impedit, vitio, ſive aſſumptorum, ſive contagii, ſive etiam interna corruptione, acrius redditur, neceſſe eſt, acidiuſculum lymphæ ſpiritum invalidum reddi, vel ubi, ſale quanquam primum non vitiato, dictus acor p. n. corrumpitur, ſive debilitate, ſive exceſſu ſpirituoſitatis, fræna omnino ſanguinis confringuntur, unde maſſæ conſiſtentia, unde ſpirituum ſerenitas, unde caloris nativi perennatio, ſubvertitur, præſertim quando, propter volatilium deſtructionem, priorem reſolutionem nimiam coagulatio maligna excipit. At cùm pro multiplicibus, tum cauſarnm morbificarum, tum modorum reſolutionis hujus, & coagulationis malignæ, tum ſubjectorum, varietatibus, variis etiam modis febris hæc maligna excicetur & affligat, in varias ſpecies dividendam ratio & experientia præcipit, ſingulas ex peculiaribus ſignis cognoſcendas. Generalis quidem effectus omnium eſt virium repentinus, absque cauſa manifeſta, lapſus, major quidem, quam benignæ febris vehementia efficere poſſet. Pulſus debilis, parvus, frequens, vel interdum naturalem mentiens, ſemper tamen inæqualis. Calor mox atrocior, mox remiſſior, inæqualiter tamen & inordinate, mox horrore & dolore lumborum, dorſi, artuum, colli, interpolatus. Excretio aliqua valde moleſta à principio, ſive per vomitum, ſive alvum, ſive nares, & reliqua, quæ in peſte notavimus, ita

tamen,

tamen, ut non tam cito, nec tam vehementer ſtatim, fieri concipiantur. In ſpecie tamen, ex ſanguineæ maſſæ, à ſale nimium acri, vel acido plane aquoſo, oleoque exauthorato, nimiumque quam pro naturæ voluntate ſpirituoſis, nimia fuſione, pulſationes cordis vehementes, inquietudo laborioſisſima, dolores corporis totius, perpetuique & copioſisſimi ſudores oriuntur, quibus ſymptomatis diram febrem SUDOREM dicunt ANGLICUM, brevi, ni probe ſuccurratur, lethalem. Quando ſal nimium ferociens maſſam quidem exagitat, non tamen ita fundere, ut in priori, poteſt, nec inde excitatæ fuligines, ob pororum clauſuras, perſpirare poſſunt, neceſſe eſt, ut partes valde ſenſiles corporis vehementer doleant, inde magna cardialgia, præſertim iis, quibus pejor victus œſophagum antea corrupit, inde etiam horrendi capitis dolores, dum ſalſior hoſpes allabens membranas vehementius pungit, vocatur talis febris HUNGARICA, militibus frequentisſima, variis ſymptomatibus præterea ludens. Bene ſperare jubemur, ſi materia critico conatu per aures aut aliunde e capite evacuatur. Quando peccans volatile ſal, peccanti ſimiliter oleo remixtum, acidorum ſpirituum operationes non recipit, ſed à maſſa facit divortium, nec tamen, tum ob vitalis caloris impetum imminutum, tum ob pororum cutis inconvenientiam, diſcuti è corpore poteſt, cutem interdum initio ſtatim, interdum quarto, ſeptimo nonoque, die erumpentibus maculis fœdat, dum in anguſtiis cutaneis ſubſiſtit, idque cum horrore,

rore, pruritu, excoriatione majori minorive, prout vel ſal mitius fuerit, vel ab oleo emollitum copioſius, pro quorum qualitatibus & copia variant quoque macularum colores atque figuræ. Petechialem nominant his ſtipatam febrem, tanto minoris ſpei, quanto nigriores, verſicoloratiores, cum permanente nimia debilitate, vel copioſiores, vel pauciores, principio morbi viciniores, uno verbo, quanto à critica methodo alieniores maculæ erumpunt. Pestilens febris vocatur, quam gradu leviores cauſæ peſtis producunt, ita ut vehementioribus, quam aliæ malignæ, ſymptomatibus correptos infeſtet, bubonibus & carbunculis partes exedat, doloribus membra varie torqueat, ſæpeque necroſin inducat, ſæpiſſimè interimat & brevi. Tanto meliores ſpei habetur, quanto virium minus proſtratum, & plus ab eruptione malignitatis redditum eſt. Simpliciter alias Maligna vocatur, quæ ex mitius corruptis humoribus, malignè tamen, originem habet, tantoque eſt ſecurior, quanto febri benignæ ſimilior eſt, tum ſymptomatum ratione, tum excretionum. In genere, prognoſeos omnium malignarum febrium hæc ſynopſis eſt. Quo cauſæ leviores ſunt & pauciores; quo vires corporis, quod invaditur, robuſtiores; quo calor univerſalior; pulſus major, æqualior; urina turbidior, craſſior; quo ſymptomata leviora, præſertim vitalia, febrique quam peſti propiora; quo ſudores univerſaliores, calidiores, copioſiores, & critici magis; quo exanthematum & tumorum eruptiones feliciores, facilio-

res & euphoricoteræ; quo ab excretione vires redeunt promptius; quo naturæ molimina, etiam imperfecta, turbantur minus; eo ſanitatis ſpes major affulget.

§. 3. Vix his in tractibus reperies caſtra, quorum parti magnæ peculiaris illa corporis & contagioſa cachexia, conſiſtens in ſanguine craſſo, crudo & fæculento, à cauſis ſal illius ſpiritum & oleum ſenſim enervantibus genito, variis ſymptomatibus, deinceps nominandis, non ſit infeſta, SCORBUTUM vocant vulgo. Cruditas iſta ſanguinis & craſſities conſiſtit vel in principiorum volatilium defectu, vel in fixorum exundantia, vel in utrorumque ſubſtantiæ, qualitatum & juncturæ, peculiari vitio. In alio aciditas fæculentior copioſo limo humores ſpurcat, in alio tartareum ſal vel ad mineralem naturam accedens, eorundem laticem fœdat, in alio effœtum ſal cum oleo effœto coït arctius flammæque vitalis ſerenitatem retardat, in alio activa volatilitate exutus ſpiritus aquæ naturam aſſumit, in omnibus torpor ſanguinis adeſt, & humorum ſive ſalſi, ſive acidi vitio, acrimonia, ſero copioſo tanquam lixivio permixtorum. Quæ quidem generantur vitioſa concoctione, dum ſaliva, dum fermentans ventriculi liquor, dum ſuccus pancreaticus, vitio ejusmodi ſalibus & ſpiritibus prægnantes, chylum corrumpunt, dum ineptior lympha, dum ſuccus lienoſus impurior ſanguini confunditur, dum ſalis lixivi retorridi, multo oleo remixti, fæculentiores partes per hepar, tartareo-urinoſi per renes, fuligines oleoſo-ſalinæ per pulmones

nes, atque acida per glomeramina & globos glandulares non rite ſequeſtrantur. Occaſiones horum errorum ſex res ſunt non naturales, quæ maſſæ vel fermentum tale ingerunt, vel vitioſam materiam præbent, vel excretiones vitiant, vel actiones & humores turbant. Contagium hic plurimum valet, à milite vix evitabile. Fit autem hæc corruptio, non ut in ſupra datis acutis, repente, ſed lento admodum gradu rerum potitur, blandiens, dum grandes acquiſiverit vires eundo, tum vero omnium ſymptomatum facies oſtendit, prout limoſa cruditas calidi ſalis aut acidiuſculi phlegmatis plus in ſinu recondit. Fit difficilis reſpiratio, anxietas, cordis palpitatio, aliquando lipothymia, quoniam limoſa hæc ſcorbutica fæx ægre circulum ſuum currendo abſolvit, pleuritidem aciditas redundans ſtagnansque profert. Vitiantur coctiones ciborum, nauſeæ oriuntur, ructus, vomitiones, tormina ventris, variique fluxus, à ſuccorum glandularum conglomeratarum vitiis, queis partium robur labeſit, & aſſumpta male habentur, quod ſi eadem obſtructiones retardent, neque alvus officio ſatisfacere valet. Capitis dolores, faciei pallorem, gingivarum pruritum, exeſionem, dentium caſum, ſputationem multam fieri quid mirum? dum acre iſtud ſerum corrupti ſanguinis copioſius affluens, multis aculeis partes ſenſiles pungit, vellicat, erodit; inde gingivarum, inde narium hæmorrhagiæ; fœtet ſpiritus ex putrilagine gingivarum & impuri ventriculi camarinis. Artuum dolores tenſivi, obtuſi, oſtocopi, ſub noctem

ingraveſcentes, arthritides atrociſſimæ in articulis, paralyſes, convulſiones & ſpaſmi tam veri quam flatulenti, totius corporis ſpontanea laſſitudo, hypochondriorum gravitas; quoniam inepta ad nutriendas partes materia carnes, nervos, tendines, occupat, & tum copia gravat, tum flatibus diſtendit, tum acrimonia vellicat. Unde atrophiæ ſequuntur, licet flatus copioſisſimi ſæpe corpus adeo diſtendant, ut molis ratione ſano ſimile appareat. Ubi ſylveſtriora ſalia hinc inde partes offendunt, arthritides oriuntur vagæ; quorum vi febris erratica quoque producitur. Atque dum inepta hæc, in fibras muſculoſas ex arteriis effuſa, materia nutritioni non ſatisfacit, ſi oleo fæculentiori & ſale corrupto abundaverit, nec extra poros cutis, ſeu debilitate flammæ vitalis, ſeu pororum ineptitudine, ſeu ſua tenacitate, eliminata fuerit, pingitur plurimis cutis maculis, præſertim in dorſo, cruribus, pectore, brachiis; rubent hæ, livent, nigricant, pro ſalis & olei ratione. Quod ſi copioſiori ſero fixæ particulæ vitiatæ, & ſylveſtria ſalia plura fuerint commixta, eroditur cutis ſcabie admodum difficili. Sin acidum abundaverit ſtagnans in dictis fibris, moraque, id eſt jactura fræni ſalini, ferociverit, depaſcitur nexus fibrarum, ulceribusque exeditur continuum, cavis, ſerpentibus, profundis. Quinimo dum acrimoniâ ſtagnantis vitii textus fibrarum, tum carnoſarum, tum tendinoſarum, eroditur, nutritius liquor corrumpitur, gangrænæ etiam & ſphacelo ejusmodi caloris natiui proſtratio frequens cauſa exiſtit. Et prout

ſeſe

ſeſe habuerint dictæ proximæ ſcorbuti cauſæ, varii præterea morbi illi vel jungi poſſunt, vel ex eo oriri, v. gr. peſtis, febres malignæ, hydropes &c. &c. Pulſum ſcorbuticorum ſi quæras, oppido is variat, jam debilis eſt, inæqualis, vermiculans, jam magnus, durus, celer, ſcilicet prout corruptio ſalini vel acidi limi plus minusve contraxerit. Variant etiam urinæ, jam citrinæ, tenues, cum ſedimento tartareo, jam craſſæ & albæ, jam lixivio ſimiles, jam turbidæ, tum permanentes, tum depoſito multo lateritio ſedimento clareſcentes, jam copioſius, jam parcius, cum & ſine dolore, fluentes. Sanguini è V. S. educto ut plurimum multum phlegmatis craſſi lividi inductum apparet. Cæterum noſtrum hoc malum chronicum eſt, & vix in milite citius advertere datur, quam aliquantò vehementius eum invaſerit. Facilius curatu eſt malum recens, paucioribus ſymptomatibus aſperum, ægro cætera robuſto. Difficillimum ubi ad gangrænam ulcerum depaſcentium & cancroſorum, atrophiam, hydropes, ſyncopes convulſionesque, malignitas ſe extendit.

§. 4. Rara ſunt caſtra, quæ à Lue Gallica ſint immunia, dyſcraſia illa ſanguinis contagioſa, ex ſucceſſiva ſalis & ſpirituum fixatione maligna corruptioneque exorta, omnis generis ſymptomatibus, præſertim naturalium facultatum, corpus lædente. Cauſa, ſalis ſpirituumque fixatio eſt & certa corruptio, dum volatilibus vires amputantur, ea figuntur, fixataque habitum induunt ita præter naturalem,

ut tum in terrenas fæces abeant, tum, aliter diſpoſitis aculeis, acrimoniam inconvenientem induant, quare & reliquam ſanguinis compagem corruptio manet. Induci hæc malignitas Europæis ſolo contagio dicitur, dum miaſma infecti corporis alteri ſano actualiter communicatur, illi inhæret humoresque ſanguini conſervando neceſſarios, vel ſtatim principia ipſius ſanguinis, inficit. Recipi autem hoc virus poteſt præſertim per coitum, cum miles infectæ ſcrofæ foſſam petulcus fodit, recipitur enim in ſanguinem, motu & calore rarefacti, penis miaſma in camarina fœtidiſſimi antri ſtabulans, fit idem quoque per oſcula, per uſum eorundem vaſorum, veſtimentorum, lectorum cum infectis, dum ſalivæ, ſudoris ſordiumque miniſterio in alterius corpus vehitur malum; tanto facilius receptu, quanto vitia diætæ, præſertim victus & excretorum, plura recipientem debilitarunt. At quoniam ſalium ejusmodi fixatio ab exigua cauſa cito fieri nequit, fit ut diu occultè inſidias exerceat morbus, nec cito hic ſorex ſe prodat. Cum malum ſit contagioſum chronicum, ſolent prima ejus incommoda utplurimum prodire & hoſpitari in eo, quo receptum eſt, loco, poſtmodum omnia ſanguificationis viſcera perreptat, adeo ut non tam hepar, quam glandulæ utriusque generis ſubjectum cauſæ evadant. Ubi morbus cœpit, variis ſymptomatis ludit, pro corruptionis duratione aggraveſcentibus. Scilicet, cum in volatilitate ſpirituum & ſalis vigor & mentis & corporis conſiſtat, illa vero hic imminuatur, animi

animi corporisque languorem, laſſitudinem ſpontaneam, coloris depravationem, ſequi eſt neceſſe; dum ineptum partibus affertur nutrimentum, contabeſcunt membra, defluunt capilli, cadunt interdum ungues, tinniunt aures. Fixiora hæc & corrupta ſalia, dum præ craſſitie capillaria venarum non intrant, extra eas ſtagnantia, producunt in plantis volisque calorem inſignem, & inde ortas fiſſuras, in partibus ſenſilibus dolores, in cute maculas, rubras præſertim & flavas, ob tenacitatem ſalis remixtique olei diuturnas, glandulas præſertim inguinum elevant in tumores, condylomatis, rhagadibus, ulceribus, puſtulis, tophis artus, faciem, maxime pudenda, afficiunt, quæ caries ipſa ſæpe exedit, quam ſortem uvula quoque ſubit, poſt cujus & naſi oſſis exeſionem vocis claritas perit. Dumque oſſium fibris tenacius inhærent, carioſa ea faciunt, & talparum inſtar hanc terram in cumulum elevant, intra perioſtiorum involucra horrendos artuum dolores excitant, idque non tam in articulis, quoniam horum diurnus motus hoſpitem hunc ægrius admittit, quam in artuum medio, ubi levius reſiſtitur cui motui forte remiſſio etiam doloris interdiu nocturnaque exaſperatio ex parte debebitur. Dum cum ipſo adhuc ſanguine pererrat, calorem varium hæc corruptio accendit, capitis internos dolores, tuſſim, ſitim, obſtructiones viſcerum, & ſeminis peſſima vitia producit tum ſubſtantiæ, tum qualitatum, tum excretionis horrenda, unde gonorrhœæ viru-

lentæ, priapiſmi triſtes, excoriationes urethræ; quam horrendum in modum torquet acrimonia urinæ, copioſo hoc ſale prægnantis. Utplurimum, ut dixi, locum, quem miaſma contagioſum primùm invaſit, prima ſignant incommoda; cæterum, cum chronicum hoc ſit malum, citho lethale non eſt, ſed, ſi initio ſtatim medica manus adhibeatur, ægro alias bene valente, facile eſt ſanatu; aſt ſi ſemel ſanatum, ſi bilioſioris temperamenti homines, ſi à ſummè infecto invaſerit, ſi longius moram nexerit, ſi multis ſymptomatis ſtipatum ſit, ſi oſſa multa fuerint carioſa, ſi gravis aliquis alius morbus conjunctus v. gr. ſcorbutus, quocum non nullam habet affinitatem, febris hectica, aut alia longior, &c. difficultate non caret.

§. 5 Frequentiſſime milites vexat p. naturalis à capite in ſubjectas partes defluxio humorum excrementitiorum ex glandulis capitis expulſorum, varia incommoda tum toti tum membris quibusdam inferens, CATARRHI nomine paſſim nota. Pars mittens non tam cerebrum eſt, quippe à quo ad partes extra calvariam oppido pauca ſunt foramina nervis non repleta, quos, ſi à cerebro materia deplueret, omnino paralyſis aut convulſio invaderet, quam innumeræ glandulæ capitis, tum quæ grandiores pone aures, palatum, vias aëris & alimentorum viſuntur, tum quæ univerſam cutem ſubveſtiunt. Materia ipſa lympha eſt, eaque vel craſſior, ſpiſſior, multis terrenis partibus mucoſa, vel tenuior, omnis generis

neris fuliginibus, ſalſis, acidis, oleoſis, tincta. Quando jam hoc ſerum, cum ſanguine arterioſo ad glandulas delatum, ab iis ſequeſtratur, eædemque vel copiâ graventur, vel ad excretionem incitentur neceſſe eſt illis, ſe, qua data porta, exonerare, quod, cum extra corpus nequeant, intra corpus faciunt. Copiam ſeri in glandulis efficit vel illius abundantia in toto corpore, ex aëre humido, potu frigidæ, ſuppreſſionibus ſudorum, vel excretionis ejus impeditio, ab occluſis tum poris per ambiens craſſum, frigidum, conſtipans, tum obſtructis vaſis lymphaticis, per quæ aliorſum ferri debebat. Excretionem neceſſitant tum ea, quæ materiam movent, qualia ſunt aër fervidus, alimenta calidiora & ſpirituoſa, vigiliæ & exercitationes vehementiores, calidorum humorum in corpore præſentia, ira denique & alii vehementiores affectus, tum ea, quæ glandularum fibras quaſi pungunt, ſtimulant; faciunt hoc aër nebuloſus, multis miaſmitis nitroſis, ſalſis, acidis, prægnans, aſſumptaque acria; quin ea ipſa aqua ſalinis ſæpe ſtimulis ſe è carcere glandularum liberat, quod & copia ſua utravis præſtat. Ut ado nullum anni tempus ſit, quod à catarrhis caſtris incolumitatem ſpondere queat. Variant autem horum ſymptomata tum ratione partium, in quas humor incidit, tum ratione qualitatum aliorumque accidentium ipſius catarrhalis materiæ. In univerſo corpore calor & inquietudo ſentitur, quia copioſius ſerum fuliginoſum maſſæ fervorem reddit inæqualem. Caput dolet interdum intrinſecus,

ob materiam per arterias illuc delatam, interdum cum tumore extrinſecus, ob ſtagnationem materiæ, idque vel obtusè à craſſo, vel acriter ab humore acido vel ſalſo. Oculis tumorem, obſcuritatem, lemas, craſſities, obducit, lacrymas, etiam genas erodentes, ophthalmias ſpurias, epiphoras, acrimonia facit. Perit olfactus, obſtruuntur nares, exit vi materia mucoſa, ubi viſciditas fuerit excremento, ubi acrimonia vero, vellicatur ad ſternuendum tunica naſi, eroduntur pinnæ, labia, dolor magnus torquet. Dentium oriuntur caries, dolores, gingivarum laxitas, tumores, ubi huc materia defluxerit, cadit uvula, perit guſtus, vellicantur partes ſpiritui ſervientes, prurit palatum, epiglottis, aſpera arteria, unde tuſſis, humida, ſi copioſor & craſſior, ſicca, ſi acrior & ſubtilior huc depluerit materia, vox rauceſcit, collum rigeſcit, dolet, intumeſcit, thoraci phthiſis, pleuritis ſpuria, dyſpnœæ, ventriculo proſtratus appetitus, artubus dolores, intumeſcentiæ, articulis arthritides. Imo etiam interdum ſuffocatio, tum quando, ob defluxum craſſioris materiæ, viæ aëris obſtruuntur repentè, tum ubi repletæ glandulæ phlegma à ſanguine non ſeparant, quo incraſſatus hic circulum ſuum per anguſtias pulmonum ægrius abſolvit. Cæterum quamvis catharri per ſe non lethales ſint, quippe criticam aliquam evacuationem mentientes, oppido tamen moleſti ſunt ægris, fiuntque non ſine periculo, ſi cauſæ, tum materiales, tum excitantes, vel copia nimia peccent, vel pejori qualitate,

ſi ipſa materia in partes nobiliores impetum faciat, ſi tum grandia tum multa ſymptomata excitentur, ſi graviori morbo conjungantur, ſi neceſſitas peccata diætæ plura imperaverit.

§. 6. Cum tot & tantis in alimentis ſubjiciantur milites erroribus, non poſſunt non peſſime affici eæ partes, quibus alimentorum labores natura imperavit, unde affectus reſultat, quem Debilitatem Ventriculi vocant, ſeu canalis alimentarii intemperiem, ex ipſius requiſiti caloris alteratione, & humorum, actiones illius adjuvantium, ſtatu præternaturali reſultantem; unde chyli & elaboratio & depuratio læditur, variisque incommodis in canali alimentario cauſa datur. Alteratur calor ventriculi vel in exceſſu, quando & fervidioribus cibis potuque miles ſe farcit, vino generoſo, aduſto, aromate, allio &c. & iis ſaginatur, quorum in corruptionem facilis eſt tranſitus, v. gr. melle, fructibus horæis nimis frigidis &c. vel in defectu, ob alimenta craſſa, frigida, viſcida, illum vel per ſe alterantia, vel, quatenus non probe conficiuntur, mucoſa cruditate ei adverſantia & infringentia. Humorum, quibus ventriculus pro chyli elaboratione opus habet, vitia varia ſunt, quibus illius debilitas debetur. Saliva vitioſis ſpiritibus ſalibusque imbuitur, aut ſpumoſas aquas incraſſari experitur, tum à malâ diſpoſitione interna, tum volitantium in aëre miaſmatum appulſu, tum vitioſis aſſumptis. Fermenti ventriculi, ſeu acido-ſalſi liquoris, à ſanguine in glandulis canalis alimentarii, præſertim parte ſuperiore, ſepara-

parati, & per foramina intimæ tunicæ ventritriculo infuſi, vel proventus læditur vitiis in ſanguine contractis, vel exitus occluditur, poris à craſſa fæce & tenacius inhærente obturatis, vel qualitates infringuntur ſalinæ acidis, acidæ ſalſis, ſpirituoſæ craſſis, contrariis, improportionatis. Pari ratione ſuccum pancreaticum enervat pejor proventus, exitus impeditus, refracta virtus. Bilis per canalem ſuum ad inteſtina delata, vel copia excedit, vel tenuitate, vel parcius genita, vel corrupta, vel in curſu impedita, cruditatum cumulo occaſionem præbet. Quibus omnibus, præter aſſumpta, vires addunt excretionum impedimenta, & laborum inconvenientiæ, venerisque exceſſus. Dum itaque chylificationis locus ineptus, cauſæ vitiatæ, materia inhabilis exiſtit, neceſſe eſt lædi eam enormiter, unde morborum integræ iliades pullulant, obſtructiones, febres, cachexiæ omnis generis, & profluvia alvi. Debilitatem ventriculi comitantur, calidiorem quidem, inappetentia cibi, dum acidum, appetitum excitans, ſale enervatur alieno, ructus ſunt nidoroſi amarique, reſolutâ in vapores materia collectâ, fauces, lingua & œſophagus, ardore quaſi uruntur, puncta ſcilicet ſalinis effluviis acrioribus, ſitisque eapropter intenditur, aliquando cardialgia triſtisſima, ob morſum nervorum ſtomachicorum, ſiccatum os apparet, ob ſalivæ incraſſationem. Frigida intemperies ſtipatur *vel* plenaria appetitus, tum liquidi tum ſolidi alimenti, proſtratione, tum quia aciditatem copioſior aqua

extin-

extinxit, tum quia præcipitans aliquod & abſorbens eam enervavit, tum quia mucus aliquis & oleoſa viſciditas ejus legitimam operationem impedivit, oblinendo partes ſenſiles, hoc in caſu redundat ſaliva, vomuntur viſcida, ructatur flatus, *vel* appetitus immoderatus ſolidorum ingruit, quando acidorum liquorum ſpicutiora vel facta ſunt, vel ſentiuntur, ob ſalis volatilis penuriam, & redundantiam acidorum ſpirituum tum à cauſis externis, tum glandularum vitiis, ructus hic fiunt acidi, vomitiones aſperæ, hæmodiam dentibus inducentes, ſitis nulla, voratio inutilis, dolor etiam ventriculi jejuni. In utroque frigido caſu inflationes ventriculi oriri ſolent, diſtenſiones, ructus ſonori, &c. Quæ ſane vitia ventriculi quanquam per ſe lethalia non ſint, miris tamen modis & moleſta ſunt, & peſſimorum morborum cauſæ, tantoque milite indigniora, quantò labores neceſſarii virium plus abſorbent, haud reparabilium, niſi corporis coquo & promo condo valente probe & volente.

§. 7. Haud raro militem p. n. vexant Alvi Profluvia, ſeu excretiones per inferius guttur, tum modi, tum temporis, tum ipſorum excretorum ratione, vitioſæ, ſive materiæ corruptæ aut abundantis, ſive inteſtinorum vellicationis cauſa introductæ. Pro ratione vitii, varia ſortiuntur hæc profluvia nomina. Lienteriam vocant, quando celeriter alimenta, ea fere formâ, quâ aſſumpta ſunt, per alvum excernuntur, quod contingit, ubi, præter ſalivam ſpiculis ſalinis ſuis deſtitutam, ventriculi

culi & calor & fermentum nauci eſt, ille quidem ſuppreſſus, hoc vel aquoſius redditum, vel à craſſa pituita, poros tunicæ obſtruente, in motu impeditum. Hinc ſuperveniens ructus acidus bonum reconvaleſcentiæ ſignum. Fieri etiam id poteſt, quando ulceroſa aliqua, aut inflammatoria, diſpoſitione ventriculus tentatur, quo fieri neceſſe eſt, ut ingeſta celeri impetu etrudantur. Malum ſane eſt oppido malum, ſi diutius continuaverit, virium conſervationi inimicisſimum. COELIACA dicitur, quando non amplius cruda alimenta, ſed chyloſa jam & cremoris ſpecie, ecacantur, flatibus etiam ventrem diſtendentibus. Fit hoc *tum* propter humoris pancreatici aquoſitatem copioſiſſimam, qua nimium diluuntur è ventriculo egredientia, *tum* ob ſimile bilis vitium, unde chyli & fæcum ſecretio illegitima fit, & ſimultanea ex alvo ejectio, *tum* propter chyli tranſcolationem in vaſa lactea, per tunicam inteſtinorum glanduloſam, impeditam, dum illorum orificia vel à crasſiori muco ſunt obſtructa, vel cicatrice occalluerunt. Unde atrophia, hecticus calor, deliquia aliquando animi, ægros affligunt. Non minus ac ſuperius periculoſum. Quando, vaſe aliquo rupto, ſanguis purus ex inteſtinis elabitur, vocatur FLUXUS SANGUINEUS; at ubi ab ebulliente copioſiori ſero, non tamen nimis acri, in corpore redundante, vaſa ad inteſtina repentia aperiuntur, humorque excernitur loturæ carnium ſimilis, non concreſcens, cum gravitatis ſenſu, fluxus dicitur vulgo HEPATICUS,

ticus, non tam hepatis attractricis & retentricis, quam omnium viſcerum & glandularum, vitio adſcribendus. Ni ſuccurratur, hydropem, cachexiam, tabem, prænunciat. Ut ille ruptioni orificii vaſis alicujus, ita hic ſero aucto & concitato, debetur. Sæpe excrementitii humores copioſius & frequentius, quam naturaliter deberent, per alvum excernuntur, ſine vehementi doloris, ſi tormina aliquando excipias, ſenſu, cum virium ſubſequente proſtratione, qualis fluxus Diarrhoea audit, quæ ratione materiæ egeſtæ variat; quando enim bilis *vel* naturalis copioſor genita è ductu cholidocho, aut ſanguini permixta per glandulas tunicæ mediæ inteſtinorum è vaſis ſanguineis in inteſtinum infunditur, *vel* p. n. ex putreſcentibus ingeſtis enata ferocit, bilioſa etiam diarrhœa oritur. Ex mucoſæ inteſtinorum materiæ multitudine, ſive eam alimenta viſcida, ſive depluentes catarrhi, ſive ſalivales & pancreaticæ craſſiores undæ, ſive abundantiæ phlegmatis viſcidioris in toto ſanguine, produxerint, fluxus oritur pituitoſus, quomodo etiam ſeroſus idem excitatur, ſi dictarum cauſarum tenuitas & aquoſitas peccaverit in exceſſu. Quæ omnia cauſas externas, diætæ vitia, agnoſcunt, prout huic vel illi humori generando aptiora ea ſunt, aut ineptiora. Facilius curantur, quæ cauſis externis proxime debentur, & quæ conjunctionibus aliorum affectuum aſperiores non ſunt; quæ contra ſunt, myriades periculorum poſt ſe trahunt. Omnium tamen fluxuum peſſimus cenſetur Dysente-

RIA, ſeu frequens illa, ſanguinea & purulenta, cum magno ventris cruciatu, egerendique difficultate, & aliquando febri inæquali, alvi dejectio, in caſtris utplurimum epidemica. Gradus hujus tres dantur, unus mucoſa cruori permixta egerit, alter multum cruoris cum ramentis inteſtinorum tunicæ, tertius cum cruore pus & carunculas, ſeu portiones cruſtoſæ tunicæ inteſtinorum, ſive ſuperiorum, ſive inferiorum, ſive utrorumque. Cauſa eſt eroſio ulceroſa orificiorum vaſorum ad inteſtina hiantium, à materia acri, tum ſalſa, tum acida, exorbitante. Cibi & potus acrimonia nimia & arſenicali & eſulina vi imbuti. Bilis acerrima, ſale nimirum ejus oleo non probe vincto; ſuccus pancreaticus acidiſſimus. Sanguis denique ipſe copioſis acribus particulis fœtus, quibus inteſtina exeduntur, eroſa putreſcunt, illique fervor & eruptio conciliatur. Oriuntur hi errores ſanguinis, quando ambientia vel talia miaſmata corpori inferunt, vel poros occludunt, ne genitæ in corpore fuligines excerni queant; quando ab aſſumptis materia ſuppeditatur; quando, quæ geruntur & egeruntur, in coacervationem eorum conſpirant. Dum ita roduntur inteſtinorum tunicæ, tormina neceſſe eſt excitari, dum humor in vaſis ebullit, febres, dum excernitur, teneſmum. Malum fere in caſtris ſemper contagioſum, malignum; ſanatu difficillimum, ſi longius à principio, ſi debile corpus, ſi exeſio plurium in inteſtinis locorum, ſi multitudo gravium ſymptomatum, ſi gravior febris adfuerit; lethale, ſi carunculæ egeran-

egerantur, ſi excreta ſanguinea in atrum mutentur, ſi convulſiones, epilepſiæ, ſyncopæ, affuerint; verbo, benignitas & paucitas cauſæ, cum robore ægri, bonum, contraria mala.

§. 8. Plures eſſe poſſunt morbi caſtris inimici, ſed hos, & qui ex his fiunt, potiſſimos arbitramur ex internis, qui hic conſiderentur. Inter externos vulnera, ulcera, fracturæ, dislocationes membrorum, horumque ſymptomata & accidentia, gangrænæ, ſphaceli, putredo, tumores hæmorrhagiæ, febres, dolores & alia, militiam frequentius comitantur, quorum doctrinam in aliud tempus differemus.

CAPUT IV.

De præſervatione morborum caſtrenſium in genere.

§. I. TOta caſtrorum à morbis ſecuritas ſola diætæ bonitate nititur, quam blandam & accuratam hic fingere, eſt ens rationis concipere; quare exſint caſtris omnes, quibus ad errorum patientiam corpus conſuetudo laborum & locorum non firmavit; exſint, divina etiam conſtitutione, quibus ætas minor membra nondum induravit, vel major jam jam fregit; exſint, quibus ſive connata, ſive luxu, ſive morbis inducta, valetudo ſanitatem in ancipiti librat; legantur contra in militiam in flore ætatis & roboris vigentes, ſanitate firmatiſſimi, laboribus indurati, aſſueti aſperis, vel

C ſaltem

ſaltem natura & educatione ad aſveſcendum apti, viribus robuſtiſſimi, non tàm ex corporis mole, quam vigore colligendis, ex quibus paratus exercitus optime valere, ægrè morbos admittere, admiſſos ſemel feliciter pellere poterit, ſique tam robuſtis frui non licet, ſumantur qui his proximi ſunt. At cum omnis mutatio præceps non careat incommodo, non poterit non ſive recens conſcripto, ſive ex hybernis educto, militi recens expedito aliqualem alterationem inferre, qua, collecti prioribus temporibus in primis viis, humores agitari, excitari & morborum ſemina fieri queant, quare certè optime ſaluti conſultum reor, ſi prius, quam campis Martiis ſe ſiſtat, miles præparatione aliqua corpus muniat. Fiet id humorum, priori vitæ genere & hyberna ſagina collectorum, eductione, quam Magnis Generalibus & Officialibus præſentes medici, pro re nata, ſatis ſplendide procurare norunt, minus ſumptuoſis & delicatis facile vulgaris miles acquieſcit. Quilibet autem habeat exploratum, vomituine an ſeceſſui ipſe ſit aptior? an plus ructuum aut torminum ab exceſſibus variis experiatur? ſi prius fuerit, conducent, militi vulgari ſcribo, ſumpta mane jejuno ventriculo aquæ tepidæ libra ſemis, cui butyri non ſaliti vel olei Olivar. aliquot unciæ admixtæ ſunt: Cereviſiæ tepidæ, cui per noctem aliquid tabaci immaceratum erat, hauſtus: Serum lactis cui vj vel viij folia, vel drach. j. rad. aſari per noctem in tepore infundebantur: Juli vel cortices juglandis arboris ſiccati ad Drach. j.
Aquæ,

Aquæ, aceti & mellis mixtorum tepidorum largus hauſtus: Foliorum tenellorum ſambuci infuſum. Idem faciunt ſemina & ſucci raphani, atriplicis, ſcillæ &c. Quibus occaſio ſuppetit, proſtat in pharmacopoliis ingens farrago mercurialium & antimonialium & aliorum emeticorum. Caſu in elegantiſſimum nuper incidi. Confuderam fel bubulum & Sp. Vitriol. Veneris, dieſque aliquot in tepore fovi, ſalque, quod effuſo liquore vitri fundo & lateribus adhæſit, inſigne emeticum in aliquibus offendi, vix grani pondere datum. Qui ſicco vomitorio uſus eſt, poſtea bibat aliquid juris pinguis tepidi. Pharmaci, ut alias, ita & hic actio promovetur movendo. Vomitu peracto mulceatur ventriculus hauſtulo lactis cum ſaccharo, vel vini. Quibus purgatio convenientior, videant ii, quo potiſſimum medicamine juventur. Panchymagogon ſæpe expertus ſum folia vel cortices medianos ſambuci & folia trifolii fibrini recentia in cereviſia cocta potaque. Valent etiam arilli baccarum ſambuci, pulvis radicum trifolii fibrini, rhabarbari, baccar. rhamni, gratiol. ſoldanell. ad pondus drachm. j. Jalappæ drachm. ſem. Tabaci folia cocta & pota ἄνω κάτω que purgant. Succi radicis ireos noſtratis ad Unc. j. rad. bryoniæ drach. ij. ſerum lactis copioſe ſumptum. Omnibus ſcammonium dextre adhibitum palmam præripit. Præter quæ euporiſta iunumeræ alvum ſunt turbandi artes & modi, à Pharmacopæo carius, cui volupe, emendi. Aliquot ante purgationem veſperis præparari corpus & humores vel-

lem, quod faciet miles ſobriè vivendo, hauriendoque dietim aliquoties cereviſiam, vel ſerum, vel aquam, cui trifolii fibrini, radicis enulæ, calami aromatici, cuſcutæ, cichorii, fœniculi, &c. aliquid ſit incoctum, vel cochlearia, beccabunga, naſturtium &c. infuſum. Ipſis dictis purgantibus addantur corrigentia, fœniculum, carum, aniſum, &c. Hauſto pharmaco moveatur corpus, abſolutaque operatione reficiatur ventriculus grato aſſumpto. Quibus copia ſanguinis in vaſis major ſtagnat, varia mala comminans, venam ſecari ſibi jubeant, cavendo ne excedatur, quod quidem hic gravius eſt defectu. Quos autem nulla cogit neceſſitas, ne prodigi ſint temerè roboris ſui & vigoris, etiam atque etiam obteſtor; ſcitote enim, parcius in ſalutem patriæ effuſuros ſanguinem, qui in ſui perniciem illum ſpreverunt. Nullis contra non ſudor conducet, inſignis ille febrium malignitatisque præſervator, quem, aliquot à purgatione diebus, ſumpta vel Theriacæ drach. j. vel rob. ſambuci aut ebuli Unc. j. vel decocti trifolii fibrini aut card. bened. aut fumariæ in cereviſia calida largus hauſtus, egregie ptovocabit ſtragulis probe tecto. Ita præparatus miles noſter caſtris ſe ſiſtet incolumem.

§. 2. Talis vero ut maneat, rebus non naturalibus quantum fieri poteſt optimè convenientibus efficietur. Gnarus ſit metator naturæ locorum, ut putridas paludes, venenata hypogæa, ſpurcas impuritatum colluvies, evitet, ſed caſtris locum deligat apricum, ventis per-

pervium, ſolida humo, quam flexis alveis lymphæ fontium perluunt, jucundum. Sed quid hic Hygiææ valebit conſilium, ſi neceſſitas diverſum imperaverit? copioſiores tamen aquas aggeribus & foſſis limitabit, humidiorem Jovem fumo funium ſulphuratorum, pulveris pyrii, tabaci vel lignorum variorum (accenſorum, corriget, ardentiorem vapore aquæ beneficio ſubjectorum ignium copioſius elevato. Ante omnia id ſtudeat, ut morbo correpti peculiari loco locentur, ſeparati à ſanorum contubernio, ne contagioſa labes ad plures ſerpat, dici enim non poteſt, quanta ex hac confuſione ruina caſtra occupet, quanta malorum ſeges, nullo propemodum ſtudio evitabilis, ſoli ordini meliori obſecundans, quâ prudentia qui ſervavit ſuos, Dux majoris ſane videtur, ac qui hoſtes prælio fudit, ſiquidem unum civem ſervare, quam hoſtes mille occidere, melius ſit. At vos cavete vobis milites, ne petulantia veſtra Ducum prudentiam eludatis. Niſi neceſſitas urgeat, celeres mutationes fugite; ubi incaluiſtis excubiis, laboribus, vapore ſolis, non ſiccis faucibus haurite frigus humorum, non liquore fluminum alliciamini, non manus protinus, & pedes, & caput, gelida perfundite, Alexandri exemplo cauti. Ubi maduiſtis imbribus, vadis, nivibus, non ſiccet cutis madidas veſtes, ne mador ille in calamitoſas febres redundet. Ubi intenſius frigus membra uſſit, date inducias, movemini fortius, Hunnorum exemplo, quos nudis pedibus ſupra nives, ut incaleſcerent, vidi ſaltantes. Evocet gelida, vel

nix, frigus poros conſtringens, ne repentinus ignis in mortem membrorum ſæviat. Mercatores mihi aſſeverarunt, hybernorum frigorum reddi manus ſuas patientiores, ſi æſtate ſæpius eas abluerint ſpermate ranarum. Cæterum prodeſt interdum balneo uti, aut corpus calida abluere, interdum aquis frigidis, quo ſordes à ſqualida cute abſtergantur, non decoris cauſa, ſed libertatis pororum, & defenſionis contra pediculos, ſordium individuos comites, tanto frequentiores, quanto paucioribus indumentis milites alternare poſſunt, animalia tantæ audaciæ, ut Regalem quoque HENRICI IV. Galli epomidem incolerent. Militatur contra hos lixiviis, quibus vel abſinthium, vel hedera, vel ſigillum Salomonis, vel helleborus uterque, vel pyrius pulvis, vel tabacum, vel ſtaphyſagria, vel cocculæ, vel calli & ungulæ equorum, vel perſicaria, vel ſabina, incocta ſunt; oleum ſpicæ & laurinum multum valet; præ omnibus commendatur mercurius vivus illitus; haud inutile eſt linteamen illud, quo pocula inaurata aurifabri abſterſerunt. Habentur in officinis peculiaria unguenta. Mihi in itineribus, maxime Pannonicis, cariſſimum fuit. Recip. ol. laur. axung. porcin. ana. unc. j. ol. ſpic. deſt. pulv. ſtaphyſagt. coccular. tabac. ana. drachm. j. mercurii vivi drach. ij. Miſc. ad oll. & juncturæ veſtium illinantur.

§. 3. Quanquam ſanus homo, qui ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debeat, nullum cibi genus fugere, quo populus utitur, interdum in convivio eſſe, interdum ab eo ſe retrahere, modò

modò plus juſtò, modo non amplius, aſſumere, ipſe miles tamen, qui ſuæ ſpontis non eſt, in mediis diætæ erroribus non leges ſemper ſpernat. Alimenta, bonum & ſolidum nutrimentum præbentia, facilius eſt deſcribere, quam porrigere. Optimi quidem cibi ſunt ſolidioris ſubſtantiæ, nulla putredine, nulla maligna qualitate corrupti, panes bene cocti, pultes omnis generis, carnes tum recentes, bovinæ, caprinæ, ferinæ, ſuillæ non nimium pingues, gallinaceæ, anſerinæ, omniumque volucrium edulium ſylveſtrium, aſſatæ potiſſimum, tum ſale & fumo, non tamen ad corruptionem, induratæ, piſcium carnes ſimili conditura ſervatæ, aſellorum, halecum, ſalmonum, paſſerum. Olerum & fructuum horæorum minor eſt virtus nutritiva, ſi braſſicam, & rubram & albam, tum ſale conditam, tnm potiſſimum cum butyro vel lardo in pultis formam coctam, exceperis. Juſcula calida aliis cibis præmitti, admodum bonum, conficienda ex lacte, cereviſia, hydromelite, vino, jure carnium & butyro. Ova gallinarum nobiliſſimum præbent edulium, ad duritiem cocta valido ſtomacho haud ægrè obſequentia. Caſeus vulgariter bonus, & panis biſcoctus calefactus butyroque vel adipe anſerino ſuillove illitus probè robuſtos nutrit. Quoad ciborum præparationem, vellem eos, præſertim ex piſcibus & carnibus, non crudos, nec ſemicoctos, ſed ita præparatos ingeri, ut ventriculi coctioni facilius obſecundent. Gulæ illecebræ exeſſe debent; condit cibos non Apitius, ſed appetitus militis,

optimus ille dapium ſtrator; at ut chyli elaboratio & diſtributio promoveatur, carvi ſemen, raphanus ruſticanus, ſinapi, acetum, cibis addi meritiſſimò poteſt, & ſal debet. Ubi deterior commiſcetur potus, ſpiritum vini, frugum & fructuum, ſuperbibere licet, cujus auxilio etiam iniquiora ventriculus conficit ſæpe. Edat miles, ſi fuerit annonæ copia, quantum, pro viribus reparandis, ſufficit ad ſatietatem, non ſaginam, idque bis die potius quam ſemel, & ſemper multum, dummodo hoc concoquat, imo, prout laborum modus fuerit, pluries, ſunt contra athletici cibi ſupervacui, quoniam, quæ frequentius, quam pro virium requiſito, replentur corpora, celerrimè & ſeneſcunt & ægrotant. Fit interdum, ut inopia famem imperet, an inopiæ Glauberus ſatis conſuluerit? judicent experti. Latrantem appetitum ſedabit miles, acido ventriculi objiciendo materiam agendi vel ſopiendi. Præſtant hoc alcalia fixa & volatilia, oleoſa & pinguia, ſpirituoſa etiam, tum oleoſa, tum ſalſa, atque denique narcoſi nervos ſtomachi oblinentia, pauxillum theriacæ in ſpiritu vini vel frumenti ſumptum, Aſiaticis opium familiare, allium cum ſale fruſto panis illitum, carlinæ radix comeſta, crocus in lacte, hauſtus vini generoſi vel ejus ſpiritus; mihi Transſylvanus monachus impenſe laudavit hanc maſſam. Recip. amyli, ſem. papav. ana unc. ij. aniſ. drach. ij. pulveriſata & c. q. ſ. mellis deſp. f. placenta probe excocta, quæ in fruſta diſcerpta ſp. vini croco ubertim tincto optimo ſæpius immergatur, hujus ſum-

pto

pto bolo uno, totum diem cibum ſe non appetiviſſe aſſerens. Sunt appetitus leniendi artes, ſed diu ejusmodi objectis non acquieturi, nec diu cum umbris ejusmodi luctaturi Quod ſi poſt inediam fercula fortuna offerat, non ea qualiacunque avare tuburcinetur miles, ne fractum otiô fermentum cibi repentina copia obruatur, multorum pernicie. Quando pejores cibi devorandi ſunt, adjumenta correctionis & concoctionis ne negligantur! hauſtulus ſpirituum deſtillatorum vegetabilium multum adjuvat duriorum viſcidiorumque concoctionem, calidiores aqua frigida temperat, & quæ aciditate non excedente ſuavis eſt conditura. Putredini & corruptioni ſal vulgare omnium potentiſſimè reſiſtit. Melones vidi in Auſtria à Magnatibus maxima copia devorari, non cum pipere & ſaccharo, ſed mero ſale, ſuperpota frigida lympha, nullo valetudinis incommodo. Ut ciborum, ita & potus ratio eſt. Vinum mediocre, lac bubulum & caprillum, & cereviſiam probe coctam, ad cujus compoſitionem Simſonem polentæ, Goliatum lupuli, Davidem aquæ bajulum deſiderant, potuum commodiſſimos militi novimus quidem & commendamus, ita ut ſitim hiſce modeſtè ſopiat, non vero inebrietur, nec tamen ægre ferat ille, ſi tenuioris farinæ cereviſiam, vel ipſam etiam inſontem aquam, neceſſitas obtrudat, præſertim ſi limpido & ſereno è fonte ſalubris hæc queat hauriri, at ſi lacuum colluvie, ſi ſtagnorum putrilagine, & corruptis multis impuritatibus undis, arida ſitis levari debet,

ſuadenda omnio liquoris eſt correctio, transmittendo aquam hauſtam guttatim per pileum, coquendo illam cum manipulo ſalis & cruſta panis, macerando in ea radices calami aromatici, angelicæ, carlinæ, pimpinellæ, immiſcendo theriacam, vel fruſtum panis toſtum ſuper prunis, & aliquot guttas ſp. vitr. nitr. ſal. clyſſ. mineral. Magni equitis experientia monitus ſum, panem ſiccatum ſp. vini rectif. infundere toties, totiesque reſiccare in umbra, donec nihil amplius liquoris in ſe velit commode recipere, hujusque panis, pro uſu probe ſervati, fruſtum aquæ transcolatæ infundere, futurum eſſe, ut aqua non ſolum corrigatur, ſed & vinoſo plane ſapore ſeſe commendet. Alias pro delicatioribus elegans potus fiet, ex recip. ſem. coriandr. ppt. unc. ſ. aniſ. drachm. ij. coq. in aq. pane toſto correctæ lib. ij. in dipl. per horam mediam, adde nitri ppt. ſcr. j. balſami vel cinamom. vel caryophyll. aliquot grana in ſaccharo ſolvenda, & albumen unius ovi. Miſc. f. potus. Plura addere non vacat. Quod ſi cereviſia acida vel corrupta fuerit, addi illi ſalubriter poſſunt ſem. aniſi, fœniculi, carvi, rad. enul. calam. cichor. cortices citri, aurantior. tamariſc. &c. Hoc adhuc militem per ſuam ſalutem obteſtor, ne, quoties ſiti ſive labore & calore fractus, ſive longa humoris inopia, exaſperatas fauces ſentit, obvium ſtatim quemque humorem ingurgitet, quam temeritatem multi phthiſi, ſpaſmo, colica, hydrope, ipſa denique morte, luerunt; non ſemper ſitis liquores poſcit, ſæpe fallaciis ſopitur. Verſati

ſati in ore globi plumbei, berberum fructus, cortices, folia, prunorum ſylveſtrium locuſtæ, acetoſa & acetoſella, recentia folia fagi, fruſtum cruſtæ panis ſiccum, folium diſſectum ſempervivi majoris, in ore detenta vel manſa, liquore fauces irrigant; omnibus tamen melius eſt nitrum præparatum ori ſiticuloſo impoſitum, cujus beneficio non allicitur tantum ſaliva, ſed pulvere quoque & ſqualore repurgatur lingua, refrigeraturque faucium fornix.

§. 4. Siquidem ignavia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit, neceſſe ſane eſt, militem hoc vitæ habere genus, ut modo in opere ſit, modo in papilione, ſæpius in exercitiis, laboret, operetur, quieſcat interdum, ſed frequentius ſe exerceat, ne intermiſſus ordo exercitationis corpus affligat, & cauſæ morborum gignantur, & membra labantur in deſuetudinem. Par ratio eſt ſomni & vigiliarum. Omnium modum neceſſitas dictitabit. Ubi ſors famem minatur, mollius labores ſuſcipiantur, nec abs re erit, inter opera ligamento abdomen munire, ne vel laterum dolores, vel herniæ, è labore oriantur. Curet miles, debilitato per labores & excubias corpori, ſi quidem conceſſum fuerit, per ſomnum convenienter benefacere, non, quod reparandis viribus datur, tempus rixis, compotationibus, luſibus impendere; ſi laborum pertinacia laſſitudinem induxerit, ſolvet eam quies, tantò vero citius, quantò convenientibus membrorum robur prudentius fovetur. Decoctum artemiſiæ pro pediluvio extrahit

hit inſigniter laſſitudinem; præſtat idem pulvis pyrius in aqua tepida ſolutus. Oleum chamæmæli, anethi, butyrum, membris inunctum & agilitatem promovere poteſt & laſſitudini adverſari; an radix carlinæ, vel corda ſerpentum, vel allii radix, impedire eandem poterint, viderint alii. Dormiturum militem moneo, ne frequentius nudæ humo noctu incubet, nec caput radiis lunaribus nudum objiciat, ni innumeros nocivos halitus haurire poris ipſe velit.

§. 5. Excernenda è corpore non retineat ultra naturæ placitum. Si alvus ſit adſtrictior, promovebit eam clyſtere ex aqua marina calida, vel ſola, vel cui ſambucus & trifolium fibrinum incoctum eſt, additis butyri aliquot cochlearibus. Facient id quoque ſerum lactis copioſe potum, butyrum non ſalitum eſum, aquæ frigidæ cum tantillo nitri depurati bonus hauſtus, inſeſſio in balneo tepido aquarum, vel dulcium vel ſalſarum, decocta betæ, ſpinachiæ, malvæ, atriplicis, mercurialis, præſertim braſſicæ, hauſta; ſuppoſitoria fient ex fruſto candelæ, radice petroſelini butyro nitrato inuncta, ſapone acriori, allio, lardo, pulvere pyrio conſperſis; interdum ſolus ſufficit globus plumbeus, fumus etiam tabaci per infundibulum ano immiſſus. Urinam ſupprimi neque patietur, quod à craſſioribus alimentis facile contingit, ubi vero fuerit factum, immitte urethræ aliquot pediculos, aut cimices, impone glandi cepam deglubratam, vel allium, admove pubi decocta ceparum, ſambuci, trifolii fibrini, chamæmæli, juniperi, tabaci, abrotani, petroſelini,

naſturtii

naſturtii aquatici, beccabungæ, bibe decoct. herniar. cynosbati, apii, graminis, ononidis, abſinthii, chærefolii, lupuli, calami, alkekengi, &c. laudantur quibusdam teſtæ ovorum calcinatæ ad drachm. j. palmam encomii obtinent terebinthinata. Quod ſi guttatim & cum dolore urina profluxerit, inungatur umbilicus ſevo vulgari, bibatur lactis bonus hauſtus; conducunt ſpiritus vini, prædicta decocta interna & externa. Multum valet lacte, cui allium & chamæmælum incoctum eſt, penem calidè fovere; anethinæ & aniſatæ medelæ, tum intus tum extus, plurimum conducunt; non abs re quoque erit, adipe quocunque non ſalito cum pube perinæum & anum fovere. Sudoris & fuliginum tranſpirationis facilitas nequaquam impediatur, quæ, ſi craſſiorem cutem ægrius transeant, frictionibus nitroſis promoveantur, vel, ubi forte ambientis inconvenientia repreſſa ſunt, revocentur. Indigniſſimus milite hæmorrhoidum fluxus muliebri timiditate tractandus eſt, ne ferociat vel ſupprimatur & immenſis doloribus corporis pylas obvallet; huic caſui volatile aliquod medicamen, ex C. C. vel ſale ammoniaco, intus propinatum, & inunctio ung. linariæ, ol. thapſi barbati, melilot. chamomill. vel cataplaſmata ex mica panis lacte macerata addito croco, melle, vitello, vel farin. hord. butyro, ol. nuc. jugland. lini, medentur; an idem appenſa craſſulæ radix præſtet? tentandum. Priori, poſt interna adſtringentia, extra chelidonium minus, lagopus, millefolium, fungus lupinus, aranearum telæ, conſolida major,

plantago,

plantago, ungventum comitiſſæ, fumus ſulphuris accenſi, confert, nec non nobiliſſima illa ſtyptica Hafnienſis aqua. Denique quanquam ſanis concubitus neque ſit nimis concupiſcendus, neque nimis pertimeſcendus, parum tamen Veneri Martem dare præſtat, niſi à claudo rurſus Cyclope vinciri amet; robora miles in hoſtium, non in virium propriarum ruinam, impendat, tanto facilius collabentia, quantò reliqui errores in diæta magis ſunt neceſſarii. Neque ſtimulis laſcivis multum ageris, miles, ſi laborum pertinacia & alimentorum ſobrietate dies degas longos, breves neceſſario ſomno noctes, præſertim ſi pietas & juſtitia Ducis proſtibula impudica, fœminarum ſcortorumque greges, & alia irritamenta malorum, exeſſe caſtris jubeat. At ſi quietius & lautius habita fuerint caſtra, non arcendi penitus ab amplexibus conjugum Martis filii, tam ob fugam majorum criminum, quam quod coitus moderatus corpus excitat, modo in exceſſu, qui vires reſolvit, non peccetur; ſcire autem licet, venerem non inutilem eſſe, quam corporis neque dolor neque languor ſequitur. Ea interdiu pejor eſt, noctu tutior, ita tamen, ſi neque illam cibus, neque hanc cum vigilia labor, ſtatim ſequatur.

§. 6. Quis moderator vobis animorum & affectuum dabitur, virorum impetuoſiſſimi? ſuis lineis olim iram dedimus publico, quam cum odio & cupiditate vernaculam caſtris novimus, hanc temperare magnitudine animi, & vera generoſitate mollire, famæ & valetudinis plu-

rimum

rimum intereſſe, credite. Non victoris encomio lætus celebrari meretur, niſi qui & ſui victor dici. Moderatio animi eſt, quæ fortem, quæ heroa, quæ ducem à gregario ſequeſtrat. Hiſce interea legibus qui ſe liberè obligare velit, neque medico, neque jatralipta, egebit, nec metu, ne in ſecunda valetudine adverſæ præſidia conſumantur.

CAPUT V.

De præſervatione morborum caſtrenſium in ſpecie.

§. 1. At quamvis his regulis generalibus ſalubritas caſtris aſſeratur, miro tamen cauſarum ſuperiorum inferiorumque ordine, atque etiam in has regulas peccatis inevitabilibus, morbis illa peculiaribus obruuntur ſæpiſſimè, à quibus imminentibus ut præſervetur miles peculiariter, neceſſe eſt obſervet nonnulla. Contra Pestem quidem defendetur, ſi irrupturæ cauſæ, fugiantur, vel fugentur. Salubriora loca eligere utile eſt, ſed militi ſæpe non licet, excurſurus evitet loca & prædas infectorum, nec advenæ omnes mercesque horum promiſcue in caſtra recipiantur, at ubi neceſſitas electionem non permittit, purificantor omnia ante, quam in uſum trahantur, lotione, fumigatione, ventilatione. Commilitones infecti vitentur, & defuncti quam altiſſime ſepeliantur. Ignis & fumus optime aërem purgant, ſive in coagulatorio, ſive reſolutorio, ſive mixto, veneno peſtis

ſtis lateat. Imitanda hoc tempore Hippocratis eſt induſtria ſylvarum incendio peſtem profligantis, & nunquam utilius pagi incendi, nunquam tormenta explodi poſſunt. Tabaci, lignorum juniperi, hujusque granorum, abietis, laricis, quercus, fœni, ſuccini, picis, fumi ſuccenſis ignibus ſpirent, ubi in peſte reſolutoria vegetabilium viridium fumus, ob multos ſpiritus acidos, prævalet, in contraria, aridorum, quo conſpirant quoque accenſa cornua cervina, hircina, bubula, ungulæ item alces, aſini, equorum, non urinarum, non fæcum alvi, mephytis pertimeſcenda; in utriusque alternatione utraque. Cæterum, ut in omnem mutationem ſit paratus miles, ſuadeo, curet ſibi parari pyxidem tornatilem ex junipero duabus cavitatibus dotatam, quarum alteram volatili aliquo ſale C. C. ammoniaci, urinæ, album. ovorum, ſive ſolo, ſive cum oleo ſuo commixto, goſſypio excepto, alteram ſpongiâ aceto, ſeu ſimplici, ſeu bezoardico aliquo, ſeu calendulæ, imbutâ repleat, pertuſamque crebris foraminulis naribus ſæpe admoveat. Quibusdam fumus funium bellicorum, itemque tabaci, ſufficit. Progreſſurus è tentorio miles bene faciet, ſi manderit fruſtum radicum angelicæ, pimpinellæ, allii, cepæ, carlinæ, petaſit. gentian. Imperator. zedoar. aliquot item folia rutæ, ſcordii, ſalviæ, roriſmarin, &c. vel unum & alterum cochlear ſpir. vini, cui talia immacerata ſunt, vel aceti ſimili pharmaco imbuti, aſſumſerit, quibus, ſi deſint baſama rutæ, ſuccini, &c. nares & pulſus quoque inungi poſ-

poſſunt. Electuaria, elixiria, trochiſcos, aquas innumeras, prophylaxeos gratia ditioribus pharmacopolia porrigent. Cibos bonos & hauſtum vini boni rhenani militi ut concedat ſors, impensè optamus, utiliſſima peſti præcavendæ. Cereviſiæ putridæ, farinæ veteres, horæi fructus & legumina, exſint. Jam etiam humorum corporis habenda ratio, ne miaſma contagioſum promptius alliciatur foveaturve. Quibus per fonticulos ſanguis ventilatur, peſti minus eſſe obnoxios, experientia magni viri didici. At quis militum hunc moleſtum hoſpitem circumferret? fieri tamen qui fonticulum vel veſicatoria apponi ſibi velit, non imprudenter ſibi conſulet. An V. S. præſervationis cauſa conveniat? valdè dubito, niſi in corpore plethorico & inſigniter cacochymico. Purgatio fortior inutilis eſt, effervеſcens enim maſſa ſanguinea facilius turbatur; lenitiva vero aliqua, quæ primas vias lubricat mundatque ab humoribus excrementiis, tractu temporis putredinem induturis, admodum conveniens cenſetur, ſive ſuperne ſive inferne operetur, quam pro re nata conficere, qui ſanitatem moderatur, poterit. Sudoris vero & tranſpirationis magna ſemper eſt neceſſitas, non tanti quidem, qui vires ſolvat, ſed qui mane in quiete blande irroret corpus, non tam medicaminum vi, quam blanda quaſi admonitione eorum excitatus, v. gr. per decoctum raſ. C. C. vel rad. bardan. vel lign. fraxin. vel flor. calendulæ, in cereviſia, vel pulv. C. C. phil. ppt. terr. ſigill. oſſium ſerpentum. oc. cancri. Quod ſi quis alio morbo jam ſit correptus,

ptus, ejus habeat accuratam rationem, ne immi- nens peſtis periculum multiplicet, nec præſerva- tiva lethali huic lui convenientiora opponere po- terit, quam morbi curam. Ut contra pericula militem fortitudo; ita contra luem hanc animi conſtantia decet, quippe quo plus terroris & triſtitiæ animum invaſit, eo periculi plus ma- net corpus ex iniqua humorum turbatione, cor- dis oppreſſione, & pororum occluſione. Sed nec audaciam nimiam malum veretur, quare viribus nimium ne tribuas tuis, non cohabites cum infectis, nec reculis eorum utaris, niſi officii & neceſſitatis ratio fuerit medicinâ po- tior. Sunt, quibus maxime amuleta placent; non ſpernimus ea, modo magici nihil invol- vant. Duplicis generis ea ſunt, alia præſervant corpus fundendo de ſe aliquid ſalubre, alia re- cipiendo in ſe vitioſa miaſmata tum è corpore, tum in aëre ad corpus tendentia. Illorum ef- fluvia poris inſinuata corruptionem à ſanguine arcent, ut amuleta ex oleis ſuccini, ammoniac. angelic. C. C. &c. Horum pori ita comparati ſunt, ut miaſmata potius ſuſcipiant & promptius, quam pori humani, quemadmodum bufo exſic- catus colloque appenſus ſæpius plane intumeſcit, libero in epidemica lue homine. An mercurius vivus & arſenicum idem faciant? quæſtione non caret; certè hujus uſus ſæpe ſuſpectus eſt.

§. 2. Eadem propemodum eſt à FEBRIBUS MALIGNIS præſervatio: aëris correctio, tum univerſis caſtris, tum ſingulis militum ſtationi- bus & tentoriis, procuretur, præſertim per diffu- ſionem ſpirituum acidiuſculorum, parum fœni,

aceto

aceto vel ſimplici vel rutaceo vel juniperino irroratum accenſumque, multo fumo aërem peragrat, juniperi ſambucique ſuffitus non minoris ſunt. Mala cotonea, citria, aurantia, poma acida, naribus tractata, aceta varia alexipharmaca olfacta & carpis allita, ſuccus item rutæ, millefolii, alliariæ, pariter allitus; cepa cum ſale vel allium comeſtum, niſi aliquid aceti acceſſerit, non ſemper arridet. In cibo & potu ea angue pejora ſunt, quæ excedenti calore ſanguinis ſal vel corrumpunt, vel plus æquo concitant, aut quæ putredini concipiendæ apta ſunt, acidorum interea moderatus uſus haud inutilis v. gr. ceraſorum, prunorum, berberum, myrtillorum mororumque Norvegicorum, ribium, uvarum criſparum, coctione & conditura præparatorum. Panis bene fermentatus, cereviſia ſat cocta, jura carnium, optanda militi omnino ſunt, intemperantia vero alimentorum quam maxime execranda. Venæ ſectionem in iis, qui ſanguine vel copioſiori vel ferventiori abundant, nequaquam reprobo, ſed ventilationi commodiſſimam arbitror, omnino diſſuadendam iis, quibus debilior valetudo dudum fuit infeſta. Multum intereſt quoque, fomenta putrilaginis futuræ ex canali alimentario ſæpius eliminare, tum clyſterum lenientium, tum emeticorum beneficio; pilulas Ruffi, ſine quibus, tartareas, &c. magni faciunt practici; ſimplicioribus tractari ſæpe neceſſitas jubet. Omnium optimum eſt, poros corporis frequenti conatu apertos ſervare, quo malignior aura difficilius ſedem acquirat, diſcuſſo per tranſpirationem eo, quod ſali ſpiritibusque labem affri-

care poſſet. Prudentiſſimo conſilio Facultatis Medicæ inclytæ Hafniæ præſervationis gratia jubentur ſani aſſumere aliquoties Diaſcord. Fracaſtor. Elixir. propriet. Tinct. myrrhæ, Miſtur. ſimpl. vel ſaltem abſinthium, aut gentianæ radic. ſpiritui vini Danici infundere, & ſingulis matutinis aliquot cochlearia abligurire. Non dubito, inſigni emolumento futurum decoctum trifol. fibrin. rad. angelic. aut tormentill. aut vincetoxic. aut petaſit. in cereviſia veteri, aut hydromel. aut vino mediocri, potum veſperi. Quorum omnium ope proliciendus ſudor ut facilitetur, frictione aſpera dorſum tentari poterit; poſſunt & præter ſudorem dicta medicamina ſanguini multum ferre ſolaminis. Verbo, obſervetur eadem, quæ in peſtis prophylaxi, diæta, neglectis iis, quæ febribus convenire poſſunt.

§. 3. Sed qui à SCORBUTO ſe defendet miles noſter? Certe non usque adeo facilè, ſi in aëre marino, turbido, fœtido, multis effluviis ſalinis, putridis, oleoſis, prægnante, humido, craſſo, hocque nomine tam miaſmata corpori inferente, quam poros occludente, degatur; ſi cibus, quem qualemcunque occupant, ſatiare debet; ſi infectorum contubernium evitari non poteſt. Quorum compotatio, & accubitus, & oſculatio, in ſaniſſimum etiam malum propagare poteſt. Corrigendo aëri incenſa multa proſunt, quæ inter fumus tabaci recenſeri meretur, quamquam & hujus exceſſus vitari debeat, ſiquidem ſulphure effœto ſemiputrida nicotiana ſcatet, cujus deteſtanda tantum obeſſe poterit mephytis, quantum prodeſſe volatile

latile ſal incorruptæ plantæ. Et licet ipſe hic fumus eliciendo humori multo ſalivæque purgandæ apprime conferat, corruptus tamen & nimius peſſimis characteribus ſalivam fœdare poteſt. Si panes offerantur mucidi, ut ſiccentur ſuadeo ad furnum, tundantur, rurſumque cum fæniculi, carvi aut aniſi, ſemine, vel herbis ſcorbuticis, cochlearia, fumaria, lupulo, chærefolio, & pauco ſale, coquantur in maſſam, affuſa cereviſia, vel aqua depurata. Fumo induratarum carnium eſus uti non poteſt eſſe non conducibilis, ſi recentes fuerint multoque lignorum ſale ſpirituque prægnantes; ita peſſimus eſt, ubi vel fumo rerum fœtentium & putridarum, v. gr. omnis generis quisquiliarum, carbonum & terrarum foſſilium, perfuſæ ſunt, vel, licet optime antea fumatæ, tractu temporis ſalis, tum ex fumo adventitii, tum proprii volatilis, fecere jacturam, fœtido oleo, innumerarum impuritatum tenaciſſimo, recondito intimius. At ſi recentioribus frui non licet, volatilium additamento cibi corrigantur, ſinapi, raphano utroque, ſeminibus calidis majoribus, cochlearia, petroſelino, naſturtio hortenſi, & aquatico & thlaſpioide, paſtinaca, &c. Hauſtum vini interdum haud inutilem ſibi ſciant, qui ſunt ſolvendo, præſertim in quo antiſcorbutica infuſa ſunt. Cereviſiam ſi claram, probe coctam & defæcatam nanciſci cum lupulo non licet, facilis erit paratu ea & coctu cum abſinthio, rad. helenii, fol. trifolii fibrini, ſummitatibus abietis & piceæ; cocta cum foliis chamæleagni vel hormini nimium inebriat. Aut

ſi jam coctam deteriorem mutare non licet; dicta ei ſimplicia, vel etiam cochleariæ, naſturtia, fumariæ, infundantur. Cæterum quietem labore minorem convenientiorem ſciat, & vigiliis ſomnum. Os interea ſemper probe mundetur, quod ſi multi facerent, plures à ſcorbuto eſſent immunes, ſaliva non adeo à dentium merda adhæreſcentibusque miaſmatis corrupta, quod facile fiet per aq. ſimplic. cum ſalis pauxillo, vel cum convenientibus herbis decoctam. Excernenda omni ſtudio promoveantur, ſi ſponte nolint exire, arte allicienda; pro emollienda alvo ſcorbutica laxantibus admiſceat, cui mali metus eſt; dici non poteſt, quantum vomitus huc faciat, cujus beneficio coctionis primæ impedimenta eximuntur. Nemo facile crediderit, quantum pro ſudore, quem non tam præcipitantia, quam ſpirituaſcentiam augentia, excitabunt utilem, conducat decoctum trifolii fibrini, incomparabilis virtutis herbæ, præſertim ubi mucilago C. C. coctione illi ſociata eſt. Sunt in officinis ſcorbuticæ aquæ, ſunt eſſentiæ, ſunt ſpiritus, ſunt aliæ formulæ, quorum uſu continuato præcaveri ſcorbutus queat, ſed nec omnes idem poſtulant, mutanda acida aliquando ſalſis, tum in diverſis, tum iisdem ſubjectis. Generalis quidem præſervatio in viſcerum & humorum, coctionis miniſtrorum, vigore, vaſorum deobſtructione, & ſanguinis in volatilitate, conſiſtit, at quanam præciſè medicina, acidane, an ſalſa, fixa, an oleoſa, an mixta? & quibusdam ex his potiſſimum talia felicius præſtentur? non vulgaris ingenii
eſt

eſt dijudicare, certum eſt enim, aliis impediri fæculentiam acidam ex acidi copia, vel inopia antagoniſtæ, vel corruptione, aliis tartaream exſalis fixitate, vel degeneratione in terram, vel mineralitatem, ſubſtantiæque varios modos, aliis oleorum ineptitudinem, craſſitiem, aliis ſpirituum vitia, aliis alia, tot miſturarum varietatibus obnoxia. Univerſalis vicem, ſi ullum aliud, Eſſent. abſ. compoſ. D. D. S. Paulli obtinere videtur. Nec inutilè videtur, ſi ſpiritus cochlear. lign. ſanct. C. C. & Tartari ſimul alcoholiſarentur. Elegans eſt ſpir. naſt. ſylveſtr. eſſentiſ. & alia; ſed unde gregario ſolvendi copia? Coquat hic ſerum lactis cum trifol. fibrini, idem dein cum cochlear. infundat, hauriatque intrepidus ſæpe hauſtum. Cochleariæ, beccabungæ, naſturtiorum, chelidonii minoris, ſucci cum vino expreſſi paſſim decantati ſunt. Utiliſſimum deprehendi, ſi fol. abſinth. trifol. fibr. fumar. hyperic. ſpiritus vini Danic. aliquamdiu infuſus, deinde deflagrarit, tum plantæ probe expreſſæ, colaturæque quarta pars ſpiritus C. C. admixta fuerit, cujus unum alterumque cochleare malo minaci ruri ſæpe oppoſui. Non inepte faciunt, qui, dum ſanguine, etiamſi impuro, turgent, venam vere ſibi curant aperiri, quo enim ventilatio ſanguini major conceditur, eo & limoſarum fæcum minus fieri permittit reſtitutus ſibi curſus, præſertim ſi poſt venæ ſectionem volatili aliquo medicamine ſanguini vigor reddatur. Hirudinum uſum maximi facio, ubicunque acidæ ſanguinis dyſcraſiæ, unde tot ſcorbuto ſtipen-

dia & illicia, ſuſpicio ingruit. Et utut talia omnia ſcorbuto non tam præſervando, quam, ubi incipit, curando commoda videantur, ideoque non hujus eſſe capitis; at cum tamen illius cita occurſatio, antequam larga ſymptomatum ſerie inveteratus appareat, vice præſervationis eſſe debeat, his præſertim in terris, ubi rariſſimus morbus occurit, cui hæc lues ſe non immiſceat, non incommode militem hic monendum putavi.

§. 4. Indigniſſimi mortalium eſſent milites, qui à LUE VENEREA præſerventur, ſi omnes ſua culpa & crimine eâ corriperentur. Abuſuro pietate medica ad ſcelera, non ſine peccato conſilium præſtatur. Optandum eſſet, omnes eos petulcos hircos, qui ſordidæ Veneri, quam virili Martis fortitudini, potius dicunt ſacramentum, caſtris pelli, lupanaribus aptiores, quam defenſioni aræ focique. At cum multi hac in tragœdia perſonas ſuas agere cogantur, non crimine, non petulantia, ſed ignorantia, ſed convictu licito, miſereri horum ſortis, eſt humanum. Ea enim mali hujus eſt perfidia, ut maritum innocentem, cum uxore, ſive ſciente, ſive inſcia, ſive cum ſive ſine ſcelere infectâ, congredientem etiam adoriatur, ut oſculo etiam jocoſo, ut ſupellectili aliorum, quos infectos neſcis, contrahi poſſit, tanto quidem citius, quanto ſubjectum recipiens vitioſiore fuerit conſtitutione. Quare, ut hujus ſanitas optima conſervetur, quantum licet, optime vivendum. Ne vero peſſima merx caſtris obtrudatur, ſcortorum greges, impudicæ ſcrofæ & diabolicæ

fæcis

fæcis ſemina, quam citiſſime, mercede condignâ affecta, trudantur, panni ſordesque comburantur, &, putrida hac colluvie pulsâ, mundentur caſtra. At, ſi miles bonus infectum fuiſſe commilitonem, quocum familiarius vixit, vel uxorem ſuam, quacum coivit, fuerit probabiliter ſuſpicatus, etiamſi ipſe nihil adhuc mali ſenſerit, non malè faciet, ſi idem conſortium aliquamdiu declinet, ſanguinique ſuo proſpiciat, ne infectionem foveat; purgare corpus non eſſet neceſſe, niſi ſaburræ vitioſæ in primis viis ratio id ſuaſerit, neque ſecare venam, niſi urgeat præſens plethora, ſudorem vero excitare ſtatim conducit iis, quibus ſalinum hoc figensque miaſma & infringatur, & volatiliſetur, certè mixtura ſpir. lign. ſanct. & clyſſ. mineral. egregie hoc præſtant, nullo nocumento timenda, etiamſi ſuſpicio luis fefellerit; quâ ſi potiri non licet, ſcobs fraxini, tiliæ, tamariſci, juglandis arborum, rad. ſaponar. vincetox. bardan. graminis, in decocto hauriri poteſt, niſi guajacum, chinæ radix & ſarſapariglia fuerint in promptu. Præter univerſale hoc mundificans ſanguinis, accurate obſervet, quam partem corporis cum infecto communicarit, illiusque ſtatim purificationem inſtituat. Penem madidum adhuc muco matricis ſtatim probe abſtergat, non frigida quidem aqua lavandum, unde pororum conſtrictio arctius miaſma abſorbet, ſed iis, quæ, aperiendo eos, materiam evocant, abſtergunt, diſſipant, decoct. ſcil. abſinth. abrotan. ſaponar. lignorum celebrium, in quo mel mercurialis, antho-

ſatumque diſſolvi poteſt, addique aliquid nitri ppt. vel aqua ſalſa tepida, tum imponendo fol. tabaci explicata, bryoniæ, fraxinellæ, ſambuci, meliſſæ, &c. ſi oſculum, vel communicata alias ſaliva, infectionis ſuſpicionem peperit, probe ſimilibus decoctis lavetur os, & ſaliva ubertim prolectetur, tabaci optimi, trifol. fibrini, ligni ſancti ſcobis, aniſi ſeminis, fumo, vel ſiccis ore detentis, v. gr. nitro ppt. rad. imperator. pyrethr. angelic. coſt. arab. bacc. juniper. &c. ſi accumbenti ſanies gallica ad cutem fuerit affricta, non tam hac lotione, quam cauteriis & cucurbitulis ſcarificatis, fomes evocandus erit. Tanto autem metus cuilibet infectionis major ſit, quantò certius conſtiterit, infectum fuiſſe eum, & graviter, quocum tibi negotium fuit. An corpus ita præparari queat, ut congredi etiam cum infecta absque labis receptione poſſit? mihi paradoxon haud videtur.

§. 5. CATARRHORUM omnis prophylaxis eſt in impedimento generationis materiæ, & motus hujus p. n. Quare miles neque corpus, neque caput, Jovi neque aprico, neque nubilo, nudet. Conſuetudo, quæ tecto capite militem ſemper eſſe juſſit, non tam agilitate ejus, quam ſanitate nititur. Veſte eadem & munimento frigorum & calorum vicisſitudines excipere, non ubique abſurdum eſt. Ubi medio in aquilone excubiæ imperantur, manuum, colli & pedum, muniendorum, vel cito, poſt vacationem ab opere, ſolandorum curam habeat; nolo ut molleſcat, ſed ne radiis ſolaribus nimium

fun-

ſundatur, aut frigoribus totus occalleſcat. Illorum impetus ubi major fuit, in umbra lentus ſomnus feſſum refocillabit, ſed frondium virore non graveolentium paratâ, non cellarum ſubterranearum. Horum vim frictiones cum pannis aſperis, ſucceſſivorumque ignium calores, & ſomnus, præſértim poſt validum exercitium, ſub calefactis ſtragulis infringent. Deinde neque victu nimis humido, aut etiam exceſſive calido, ſeroſorum humorum copiam ſibi colligant, quantum quippe aquoſa illorum ſuppeditant materialiter, tantum producunt calidiſſima effectivè. Promoveantur omnes quoque excretiones alvi, veſicæ, ſudoris, imo ſi, tranſpiratione impedita, plethora ſpuria fuerit producta, non dubitetur incidere venam, aut ſcarificatione prolicere cruorem. Quæ per os evacuant humores, non improbantur, quare & hic militi ſuus tubulus tabaci relinquendus, licet ſubinde alia aut alia materia replendus. Somno ſua tempora, licet aliquando arctiora, danda ſunt, ne protactæ diutius vigiliæ aut ipſæ concitent humores, aut per intemperantiam victus generandis vitiis occaſiones fiant; cæteraque præſtentur, ut in generalibus dictum.

§. 6. Quanquam, rite obſervatis generalibus regulis, Ventriculi Debilitas nulla metuenda ſit, præſertim quæ §. 3. cap. 4. dictæ ſunt; attamen ubi cibis craſſioribus & coctu difficilibus norit veſcendum miles, ne illis lædatur ſtomachus, ſed melius conficiat, manducet jejunus aliquid radicum helenii, gentianæ,

næ, caryophyllatæ, calam. aromat. zinziberis, zedoar. proſunt hauſtus vini, vel ſpiritus vini, tum ſimplicis, tum cui abſinthium, ſalvia, mentha, roſmarin. meliſſa, infuſa ſunt, ſpiritus item maſtiches, aniſi, cinnamomi, ſtomachal. comp. vitæ qualiscunque, & innumera alia compoſita officinalia, queiscum paria facit vel ſimplex eſſentia abſinthii, gentianæ, citri, aut aliquot guttulæ oleorum ſuccini, roriſmar. aliorumque dictorum ſimplicium. Sin calidioribus cibis uti neceſſitas juſſerit, ventriculum facile læſuris, radices ſint frequentes cichorii, acetoſa, fructus cydoniorum, pomorum acidorum, prunorum acidorum, ceraſorum, myrtillorum, nec melones usque adeo reformidandi, ita nec acetum, tum ſimplex, tum refrigerantibus plantis infuſum, inutile, proſunt & aliquot guttulæ ſpir. ſal. dulcis in liquore non ſalſo ſumptæ. Univerſale ſtomachicum confortans in quemque caſum elixir eſt proprietatis, tum vulgare, tum peculiari arte dulce redditum, mixtura ſimplex, tinctura myrrh. cum ſpiritu ſalis dulc. ſit potus, imminente intemperie calida, aqua fontana cum bonis corrigentibus præparata, cereviſia etiam tenuis, non tamen vappeſcens, ſerum lactis. Jucundus eſt potus, quem ex racemis recens exſiccatis, malis cotoneis, pomis redolentibus & prunis ſylveſtribus, conciſis contuſisque, affuſa in autumno aqua, vulgus parat. In quovis caſu probe abdomen obtegatur, ne cum inſalubri cibo concurrat aëris inclementia, multis modis coctioni obfutura. Donec coctio cibo-

rum

rum fuerit abſoluta, præſtat à laboribus gravioribus, atque etiam à repentino ſomno, ſibi temperare, cibumque partitis potius vicibus, quam ſemel, aſſumere melius eſt, cujus inutilia recrementa omni ſtudio eliminanda è corpore ſunt, quæ, ſi ſponte ſua nolint, medicamine moveantur, ſed nequaquam draſtico, ne, dum præcavendo malo ſis intentus, tua culpa inducas longè graviſſimum.

§. 7. Quoad Fluxus Alvinos, prævenitur illis omnibus diætæ bonitate, raro irrupturis, ſi ventriculo ſua ſarta tecta fuerit ſanitas, & humorum corporis bonitas ſibi conſtiterit. Dyſenteria præſertim obſervari meretur, à qua ſe præſervaturus omnino contagium infectorum evitet, præſertim ne excreto per illorum alvum cruore maculetur. Fugiantur fœtores aëris & corporum nudationes, ne illinc à ſpiculis volitantibus humoribus ferocia, hinc poris obſtipatio inferatur. Fructus horæi, præſertim quibus maturitas nondum perfectionem attulit, tanquam immaturo ſale oleoque præditis, non niſi ad Tantali epulas ferantur. Fugiantur uno verbo omnia, quæ acidum, quæ bilem, quæ ſal ſanguinis, exaſperare & corrumpere poſſent. Vini hauſtus iis, qui non nimium biliosi ſunt, mediocris non oberit. Sedulo evacuationes promoveantur, alvi quidem nunquam ſine ſequenti adſtrictione, quem in finem Rheum magnopere commendant. Qui etiam mediocriter ferre poſſunt, non reformidabunt V. S. ne appellens miaſma multum, quod corrumpi aptum ſit, offendat. Præſervabit potenter ca-

nalem

nalem alimentarium & humores poculum decocti abſinthii vel trifolii fibrini in cereviſia vel lacte, item millefolii, acetoſæ, cum pauxillo N. moſchat. aliquoties ſumptum. Theriacam commendant etiam, orvietanum, diaſcordium, mithridatium, commixta aquis card. bened. ſcabioſ. tormentill. typh. C. C. Quorum beneficio aliquoties ſudor concitetur, pro quo blandiſſima quæque tutiſſima etiam in prophylaxi arbitror. At cavendum ſedulo ne, dum præſervare conaris, præpoſtero uſu medicaminum te mancipes morbo, novas generando ejus cauſas, vel latentes commodè, importune excitando, absque legitima earundem ſequente remotione.

CAPUT. VI.

De curatione morborum caſtrenſium in genere.

§. 1. AT cum omni præſervatione potior inſalubritas ſanitatem militis diſcuſſit, idoneis auxiliis naturæ ſuccurrendum, morbus eradicandus, & priſtino robori vires reſtituendæ ſunt, quare MEDICUS unus, pluresve, in caſtris requiritur, qui pro virium ægri, morbi & cauſarum ratione laboranti citò tutoque occurere norit. Dum Medicum nomino, intelligo virum bonum, artis ſanitatem conſervandi vacillantemque reſtituendi peritum, ordinariè ad hoc munus vocatum. Quam peritiam non alieno tantum labore poſſideat, ſed multo conatu, aſſiduo ſtudio, varia

excr-

exercitatione, pluribus experimentis, altiſſima prudentia, præſentiſſimo conſilio, ipſe paraverit, naturæ clavibus, non præjudiciis, uſus, publico teſtimonio Academico commendatam, effectu artis ſuæ, quo ſolo artifex agnoſcitur, demonſtrabilem. Requiritur in Medico Caſtrenſi, præter generalia, fidem, experientiam, rationem, peculiaris agilitas, qua ſpartæ tam laborioſæ ſufficere officioſiſſimus queat, quæ in virum florentis ætatis haud dubie felicior cadit, ac cui plurima mento venerabilis canitie ſylva luxuriat; nec obſtat, ſenio experimenta imputari; ſunt ingenia, quibus citius, ſunt, quibus tardius Apollo ridet, nec minor ideo Phœbus filio, quia imberbis. Medici itaque jurati conſiliis militis valetudo curetur, agyrtarum, hiſtrionum, empiricorum, carnificum, vetularum, lamiarum magorumque, ſceleratis auſibus non exponenda. Conſilia Medici Pharmacopæus & Chirurgus, uterque artis peritus, exequatur, quibus ſi coquus adderetur, næ felicior ſæpe Medici cura caderet!

§. 2. Inſtrumenta, queis ſanitatem militum molimur, tria ſunt: Diæta, Pharmacia, & Chirurgia. Diæta ægris in genere hæc convenit, ut gravius decumbentes à conſortio ſanorum ſeparentur, peculiaribus locis in manſiones plures diſtinctis decubituri, quo modo non ſerpigo modò contagii in commilitones prohibebitur, ſed & innumeræ in ægros ipſos commoditates redundabunt. Collectis quippe ægris omnibus eadem die præſens erit Medicus,

cus, qui diſperſos ſingulos vix alternis inviſere poterit, ſpectator ipſe agendorumque arbiter, quæ diſperſis non niſi per alios præcipere & obſervare poteſt. Collectis unus coquus ſufficiet, cibos pro rerum ſtatu apparaturus, quorum defectu & vitio diſperſi ſæpe obire coguntur; pauci etiam adminiſtrantes ægrotis ex mutilatorum belloque jam ineptorum tribu legi poſſent, magno ægris futuri ſolamine, quo deſtitutus ſpiritus ægritudine periculum accelerat. Servetur ejusmodi locus, quantum fieri poteſt, quam mundiſſimus, pro rerum exigentia lachryma Norvegica abiegna, junipero, ſuccino, aceto, in quo calidi lateres extinguuntur, aliisve, ſæpe fumigandus, aëre in qualitatibus quibuslibet alterato. Cibus à ſanorum plenitudine & modo recedat, & ventriculo debili proportionatus exhibeatur atque, quantum fieri poteſt, medicamentoſus, decocta hordei, lactis, cereviſia cum pane & butyro, olera, lactucæ, ſpinachiæ, betæ, rapa juniora, juſcula carnium, ova tremula, jura conſummata, pulticulæ, ſenſim ſenſimque carnes gallinaceæ, vitulinæ, agninæ, &c. Detur vero morbis acutis tenuis, eoque tenuior, quo acutior morbus fuerit, longi vero pleniorem poſtulant diætam, in iis tamdiu imminuendus, donec ad declinationis principium ventum ſit, quo tempore plenius nutriendum corpus; quæ quidem cibatio pedetentim inſtituenda & augenda eſt Fertur hyeme major, ac æſtate, in prandio quoque, ac in cœna, conſuetusque & enixè deſideratus, etſi paulo pejor, meliori quidem

quidem, ſed ingrato, præferendus eſt. Par potuum eſt ratio, quem alimentoſum probe exhibere ciborum faſtidium ſæpe cogit; nullus vero detur, niſi ita comparatus, ut morbo ejusque cauſæ oppoſitus ſit; ubi non licet pro ſitis quantitate liquores ingerere, fallenda ea eſt variis ore tenendis. Quo ſomnus ad naturalem magis accedit, magisque ægrum levat, eo melior eſt & expetibilior, pejor contrarius, & impediendus. Excreta naturalius ſe habentia omnino promovenda, fiant pro his, absque ægri moleſtia excipiendis rejiciendisque, commoditates; uno ſcilicet ſæpe ſudore ſalvari poſſet miles, quem ſub dio, & in ſtramine, male veſtito fruſtra extorſeris. Pathemata animi moderata ſint, & tum à Medico, tum Paſtore, tum adſtantibus, omnis impatientia triſtitiaque ſedulo diſſuadenda, fiducia proximæ convaleſcentiæ facta, quo modo vim medicaminis non ſolum Alexandro commendavit Philippus, ſed & mentis vix compotem modo matris ſororumque, modo magnæ victoriæ adpropinquantis, admonere non deſtitit; ſint etiam, qui munditiei decumbentium curam ſuſcipiant, ne inter ſordes volutentur, corporis convenienti lotione, balneis appropriatis, abraſione per novaculam pilorum, coacervatarumque impuritatum, mutatione linteaminum, &c.

§. 3. Pharmacia medicamentis ſuccurrit, quæ non lenta, uti nec ſegnes Medicos, nec inexperta, ſed ſtrenua requirunt tempora militis, & facile parabilia, ex ſimplicibus vel obviis paſſim, vel à Pharmacopœo ad uſum jam

collectis. Innumeram diverſitatem corradere non opus, modo cumulentur ea, quorum certiſſimus eſt uſus. Non deerunt etiam præparata; non certè ea intelligo, quæ in libra molis vix drachmam efficaciæ concludunt, pompoſo potius apparatu & ſuperſtitioſa traditione, quam regulis Pharmacopœæ accuratioribus, nixa, ſed ea, quorum virtus in modica mole reſidens, rejectis inutilibus, repagulis recluſis, non impedita contrariis, tutò venis ſincera concipi, & ſalubritas citò toto corpore percipi poſſit. Sat curat jucunde, qui cito, qui tuto. Ex medicamentis internos morbos ſpectantibus hæc fere præcipua arbitramur. PURGANTIA, quæ peculiarem fermentationem ſanguini inducunt, cujus beneficio excrementitia illius contenta à reliqua maſſa ſequeſtrantur & per alvum ſecernuntur. Copia ſalis retorridi multo oleo craſſiuſculo commixti bilis dicitur, cui ſecernendæ caſſia, manna, tamarindi, rheum, aloë, ſcammonea, & quæ ex his præparata egregia emergunt, deſtinantur. Sero craſſis, tum ſalis corrupti, tum terræ limoſæ, particulis incraſſato carthamus, agaricus, turbith, gialappa & fortiſſima colocynthis cum præparatis commendatur. Terrenis fæcibus fixata juncta aciditas ſennæ & helleboro nigro, horumque præparatis, parere dicitur. At ſerum exundans, qualibuscunque mixturis imprægnatum, ducunt ſambucus, ebulus, ſoldanella, ireos ſuccus, gratiola. Ut humorum peccantium, ita purgantium mixturæ fieri poſſunt, etiam panchymagogæ, quin fortius quodlibet purgans excre-

cre-

cretionem vitioſorum humorum quorumlibet promovere poteſt. Corriguntur purgantia aromatibus, quibus vis eorum augetur; vehementioribus, mitigatione corrigendis, admodum circumſpecte, & ubi contumacior materia eliminari poterit, utendum. Si quod movendum videbitur, moveatur id initio, præmiſſa prævia impedimentorum præparatione. In malignis acutis certè noxia, præſertim vehementior, eſt purgatio, in chronicis optima per epicraſin inſtituenda, feliciſſima, ubi beneficio naturæ ſeparata jam materia excretionem imperfecte molitur, perfecte enim operantem nullis irritamentis turbare neceſſe eſt. At doſin exactam calleas medicaminis, ne minori exhibita turbent, non vacuent, nec majori, qualia non oportet, ducant. Habetur ſub cane pejor purgatio, ſed hæc omnia neceſſitas & prudentia Medici limitabunt. Lenientium, abluentium, abſtergentium, inteſtina ſtimulantium, tutior eſt uſus, non tamen ſine ratione inſtituendus. VOMITORIA, quæ ventriculum ad egerendum contentam & vicinam ſaburram excitant, ſelectiora ſunt gumm.gutt.vitriol.alb.aſarum,crocus metallor. vitrum antimonii, ſyr.emetic. Aq. benedict. In principiis morborum valde conducunt. Convenientiora dicuntur æſtate, quam hyeme, iis etiam, qui pulmonum, ſcroti capitisque cum vitiis non conflictantur. SUDORIFERA ſerum è corpore expellunt, vel ſanguinis ſpirituaſcentiam augendo, vel figentes ejus particulas præcipitando. Ex illorum albo ſunt, tenuitate aro-

matica & reſolvendi vi prædita, fixa volatiliaque, v. g. Card. bened. angelic. Imperator. petaſit. valerian, guajac. ſcord rut. alliar. fumar. &c. omniaque ex his præparata, præprimis ſpir. & ſal. C. C. ammoniaci, urinæ, ſal. abſ. card. bened. fraxin &c. His accenſentur Oc. cancr. ppt. C. C. uſt. Spodium &c. Sunt etiam ex utraque claſſe vel natura vel arte mixta, utrumque præſtando ſudorem prolectantia. Sudoriferorum quanquam in malignis omnibus ſumma ſit efficacia, multum tamem refert, quibus medicamentis & temporibus propinentur. DIURETICA ſerum per renes & veſicam ducunt copioſum, vel aperiendo meatus, vel ſerum concitando, minus tamen, quam ad ſudorem requiritur. Decantatiſſima ſunt nitrum, juniperus, petroſelin. eryngium, cheræfol. alkekengi, terebinthina, ſalia fabar. ſuccin. ononid. & plura alia. Quorum uſus poſt purgantia eſſe ſolet maximus in iis affectibus, quos ſerum vel movet vel fovet, vacuo ventriculo, ſequente ſumptionem motu. ERRHINA ſunt, quæ vi calefaciente, acri & detergente, nares ad humorum expurgationem ſolicitant, idque vel cum irritamento vehementi tunicæ narium, ut rad. hell. alb. ireos, betæ, fol. majoran. fl. lil. convall. ptarmic. ſem. nigel. erucæ, aromata & tabacum, vel ſine ſternutatione, dictarum plantarum aquæ, decocta, ſucci, præſertim betæ cum aq. majoran. expres. MASTICATORIA vel humores in glandulis liquant, vel vaſa aperiunt, vel ſtimulant ad excernenda contenta, ut nitr.

nitr. ppt. imperator. cubeb. tabac. ſinap. pyreth. &c. Vesicatoria ſerum ad partes externas trahunt; ſunt cantharides, ferment. vetus, ſapo acerrimus, ſalia lixiva acriora, emplaſtra veſicatoria. Alterantia Calida ſunt, quorum vis in ſale volatili, fixo, copioſo, ſpiritu oleoſo & oleo propriè ſic dicto conſiſtit. Frigida, quibus major pars terræ, acidi ſpritus & lymphæ ineſt. Sicca, quæ ſale terraque abundant. Humida denique, quibus olei, ſpiritus & phlegmatis plurimum ineſt. Quæ principia cum non modo in ſe varia ſint, ſed & innumeris modis ſibi jungantur, ſecundas etiam & tertias facile producunt qualitates, vires ſcilicet aperiendi, abſtergendi, incidendi, reſolvendi, penetrandi, obſtruendi, glutinandi, conſolidandi, innumerasque colorum, ſaporum odorumque differentias, ipſas denique virtutes à tota ſubſtantia, tam partibus, quam affectibus, ſpecifice commendatas. Quorum enim medicamentorum ſanguini communicatorum effluvia ea ſunt, quæ tum cerebri nervorumque inimicos humores corrigant, tum illorum poris apte conveniant, Cephalica vocantur, & Nervina. Quæ ſanguini conſiſtentiam laudabilem inferunt, poriſque cordis blandiuntur & ignem naturalem fovent, Cordialia dici ſolent, Thoracica vero, quibus tum infarctus viarum aëris aperitur, tum ſanguinis fluxus per pulmones promovetur, tum horum ſubſtantia ſolidatur. Stomachica, quæ viſciditatem in eo collectam incidunt, fermentum tuentur, fibras ro-

borant. HEPATICA, quæ meatus aperiunt, calorem moderantur, & ad opera incitant. SPLENETICA, quæ acidum corrigunt, anguſtias aperiunt, ſanguinem maturant. NEPHRITICA, quæ tartarum reſolvunt, pylas reſerant, ſerum concitant & attemperant. Quatenus ſcilicet hæc medicamina principiis ſuis tum humores tum partium fibras incurrunt. Hinc epilepſiæ, corrigentia acidum, ad ſtatum naturalem reducendo, abſumendo, enervando, non quævis, ſed cerebri poris apta inſerviunt. Hinc malignitati, à cauſa coagulante, reſolventia, non quævis, ſed ad peccantium principiorum rationem comparata medentur; ita & à reſolutione nimia, ſola proportionata coagulantia. Humorum cruditatem corrigunt ſcorbuticam, acidiorem quidem tenuia, ſalſa, volatilia, oleoſaque, vel ſalſiorem ſpirituoſa acida, non quælibet, ſed peccatis reſpondentia. Fervorem ebullientis ſanguinis demit vel acidi reſtitutio, vel ſalis ferocientis prœcipitatio & enervatio, vel ſulphuris exauctoratio. Robur additur corpori, quando deficiens ſanguini perfectio ſupplemento defectus, & cauſæ correctione, conciliatur. Narcoſi vinciuntur ſpiritus, quando ſulphure narcotico eorum puritas turbatur, quare organorum poris ineptiores fiunt. Poſſent omnium remediorum claſſes ita percurri, ſed jam non libet.

§. 4. CHIRURGIA auxiliatur manuali operatione. VENAM ſecat, ubi copia ſanguinis corpus oneraverit, ſive ea ſinceri (quod rarum), ſive aliquo vitio remixti fuerit, quippe

pe obrui hac inutili copia ventilatio facile poſſet. Fit idem, ubi fervefcentia ſanguinis calorem toti infert, quo, parte rebelli ad officium non reditura emiſſa, ſalvetur reliquus. Utile quoque eſt, ubi ad partem aliquam irrupturus p. n. eſt copioſior ſanguis, idque duplici nomine, tum ut, pertusâ ea vena, per quam impetus parti minatur, refluus ſanguis exiliat foras, & ita fluxus intercipiatur, quod vulgo revellere vocant, tum ut, pertuſa alia vena, aliorſum ducente, arterioſi ſanguinis fluxus promeatur, & in vacuatam potius, quam aliam, venam alliciatur, quod derivare eſt. Eſt in malignis, ubi coagulatio imminet, item, ubi vires ſpirituoſorum profligatione defecerunt, aut nullus ex ejus ſtagnatione, aut impetu, aut fervore, metus ſubſit, quavis malignitate V. S. pejor. Cæterum tempus conveniens morbi eſt principium, hora matutina, jejuno homine, non tamen non demulſo ſtomacho, hyems & ver, ob prohibitam ſufficientem tranſpirationem; quantitas, tum continua, tum diſcreta, pro ratione neceſſitatis, ad cujus regulam omnia medici prudentia exequetur. Cucurbitulæ ſcarificatæ multum valent ad humores ſubcutaneos contrahendos, evacuandos, & ita ſucceſſive ſanguinem imminuendum, vicariæ, quando V. S. neceſſariam quædam prohibent. Hirudinum uſus certè haud ignobilis eſt in morbis ex acidi vitiis oriundis, quem certè ſaporem facilius, ac ſalſum volatilem ſcrunt, qua de re experimenta aliquot cum conjecturis probabilibus illuſtri Dn. Doct. Thomæ Bar-

THOLINO obtuli, illius informationem exoptans. Ut cucurbitulæ ſcarificatæ & attrahunt & vacuant; ita ſiccæ prius tantum efficiunt & fluxuum impetum moderantur. FONTICULUM faciunt cauterio potentiali, ſed quid citius ferrum, quo cutis loco convenienti incidatur, fugiet miles? quid actuale cauterium? qui utrique aſſuetus eſt. Cùm nuper ruſticarer Abrahamſtroppii, deficientibus aliis, ignito clavis capitulo aliquibus ruſticis cutem inuſſi, convenienter dein fonticulari ulcere cavatam; quantò facilius feret miles nitidius inſtrumentum? ſunt & SETACEA, ſunt VESICARUM elevationes, quibus omnibus admodum prudenter ſeroſi humores &, quæ his inſunt, miaſmata acriora foras educuntur, non ſine partium inſigni defenſione, lymphæ libertate, & totius maſſæ ventilatione, in nullo morborum, ab humorum vitiis dependentium, quovis tempore, non utiliſſima. Excitata ſemel probè tractentur, dum neceſſe fuerit, absque periculo, ceſſante morbo ejusque cauſa rurſus ſananda. Sunt plures Chirurgi operationes, amputationes membrorum, apertiones tumorum, ligaturæ, & alia, ſed has breviter vidiſſe jam ſufficiat.

§. 5. His inſtructus Medicus ſolerter ægrum aggrediatur. Ægri vires naturales cum præſentibus conferat, inquirat in partem affectam, morbum & ejus cauſam. Hanc omni niſu eliminare è corpore, iſtum tollere, illam defendere, eas reſtituere, conetur, cauſas ſcilicet externas mutando, internas evacuando aut corrigen-

rigendo, affectum alterando, partium fibras, cavitates & craſes, ad naturalem ſtatum reducendo, ſanguini ſalis, olei, ſeri, ſpirituum & terræ, ſinceritatem, proportionem & vigorem reddendo, uno verbo, contraria contrariis pellendo, ſervando ſimilibus ſimilia, omnia modo, tempore, ordine, pondere, quam convenientiſſimis. Ipſe vero patiens morigerum ſe præbeat ſalubribus conſiliis, non ſtulto impetu in medicum, in medicinam, in ſortem, in Deum denique ipſum, debacchetur indignabundus aut impatiens, ſciatque, in ægri confidentia erga Medicum, obedientia & tranquillitate, magnum pondus ſanationis reſidere. Ita non ſufficit, ſuum facere Medicum, niſi ſuum faciat ægrotus, ſuum adſtantes, ſintque externa rite comparata.

CAPUT VII.

De curatione Morborum caſtrenſium in ſpecie.

§. I. Quam primum autem quis Peste fuerit correptus, in miaſmatis corrumpentis expulſionem & conſiſtentiæ ſanguinis conſervationem omnem ſpem, poſt Deum, rejiciendam ſciat. Iſta non venæſectione, non purgatione fient; illa, ſcilicet imminutione ſanguinis, virium malignitati reſiſtentium infert jacturam, & concitatiori curſu miaſma, etiam adhuc parum penetrans, ad interiora rapit, univerſæ maſſæ in corde commiſcendum;

hæc, fermentando maſſam, venenum intimius immergit, & naturæ, quæ à centro ad circumferentiam hic commodius operatur, conatui reſiſtit. Non tamen inutilis aliquando levis videtur vomitus, ubi ſcilicet per os hauſti veneni ſuſpicio eſt probabilis. Extrahentia vero cauteria & veſicantia externa nunquam poſſunt eſſe fruſtra, glandularum regionibus applicita, quibus humores egregiè foras educuntur, ſive reſolutorio, ſive coagulatorio, veneno infecti, quare ſtatim talia fieri poſſunt. Summa rei tum latet in alexipharmacis & diaphoreticis, ſtatim à principio, & deinde ſingulis ſex vel octo horis, ægro in ſtragulis ad ſudorem compoſito, exhibendis, quorum operatio in difficilius ſudantibus promovetur frictione dorſi nitroſa, vel ſuppoſitione ſub axillis & pedibus veſicarum bubularum calida repletarum. At cum diverſiſſima peſtium ſit conſtitutio, tum cauſæ, tum modi corruptionis, tum mutationis, ratione, multum intereſt, quo potiſſimum medicamine utaris. Ubi coagulans venenum prævaluerit, talibus id oppugnandum, quæ flammæ vitalis continuationem & excitationem moliuntur, per enervationem aciditatis, per ſalis ſpirituumque tum correctionem, tum ſupplementum, per olei volatiliſationem & incendium, idque fortiter ſatis, quo ſibi reſtitutus calor nativus vitium per ſudores expellat, quod niſi à ſudoriferis convenientibus fiat, lethale utplurimum eſt ſignum. Ita ſudorem excitant Rad. zedoar. petaſit. angelic. dictamn. imperator. Fol. rut. ſcord.

card.

card. bened. abſinth. Flor. calend. Sem. leviſtic. citri, Cinnam. Camphora, ſal. C. C. ammoniac. urinæ, horumque ſpiritus, aliaque apud authores cum delectu videnda. Quod ſi nimia ſtatim venenata reſolutio peſtem induxit, iis protinus utendum, quæ, acidum excitando, ſalis ferociam compeſcendo, oleique tenuitatem corrigendo, operantur, qualia ſpiritus Vitrioli, nitri, Clyſſ. mineral. aceta varia theriacalia & bezoardica, terræ ſigillatæ, biſtorta, tormentilla. Opiata non carent quoque encomio, dum ſpiritus aliquantò figunt, ſed cave, ne excedas doſi. Cum coagulati humores poſtea in putrilaginem reſolvantur, reſoluti vero nimium demum coagulentur, antidota extant utrique indifferenter accommodata, qualia Theriacæ, Orvietana, Elect. de ovo, Papæ, Diaſcord. Conf. liberantis, Tinctura bezoardica, & quæ hujus cenſus plura ſunt, in vino ejusve ſpiritu, vel calidioribus aquis, aſſumenda, ubi præpolluerit concretio, in acetis contra, aquis & ſuccis ſtipticis, cum reſolutio vehementior peſtem induxerit. Quibus, ut dictum, frequenter uſurpatis, obſervetur, quantum quovis ſudore æger virium recuperaverit, aut amiſerit, pro quarum ratione vel medicamentum, vel doſis, mutetur. Inter ſudandum potu reficiatur æger & electuariis convenientibus, elegans fit ex toto citro, eſſent. flor. tunic. ſucc. rub. id. Cibus quàm parciſſimus detur, isque plane medicamentoſus; gelatina C. C. cum pauxillo ſacchari & ſpiritibus acidis, vel aromatis, pro re nata condita;

nobi-

nobiliſſimi uſus eſt. Interea aër perpetuo corrigatur iis, quæ in prophylaxi propoſuimus. Jamque ubi apparuerit Bubo, quod in glandularum locis contingit, attrahentibus medicamentis huc trahatur malignitatis vis, natura ſcilicet monſtrante viam, cepâ aſſata theriaca impleta impoſitâ, vel ficu diſſecta, vel cucurbitulâ ſiccâ, vel veſicatorio aliquo; apertus deinde & maturatus per extrahentia emplaſtra probe tractetur, nunquam non alexipharmacis remixtis. Ubi Anthrax, puſtulâ vel albicante vel liveſcente, cum inſigni adore, circulo ambiente inflammatorio, apparet, convenientiſſimum eſt, partes circumjacentes bono defenſivo munire, ipſumque anthracem quantocius aperire, quo caſu cauterio, præſertim actuali, potentius nihil eſt; eſcharæ remotionem facile chirurgus efficiet, cujus dexteritati talium externorum tractatio committitur. Jamque ubi ita ad ſanitatem æger revertitur, non protinus nimium viribus fidendum, ne debile corpus recentes injurias incurrat, & licet interea ex conſtipatione alvi, quam durante morbo vel clyſtere benigno tentaſſe ſæpe lethali profluvio cauſa fuit, ſaburra humorum purgatione excludendorum collecta fuerit, tamen ante perfectam carbunculi bubonisque curationem purgatione, præſertim validiori, uti, periculo non caret.

§. 2. Malignæ Febres aliæ in corpore ipſo ex corruptione natæ ſunt, alias contagium induxit, illarum curam purgatio levis absque periculo inchoabit, harum miasmatis expulſio, per-

perficiet utrarumque reſtitutio ſanguinis ſuæ craſi & vitiorum expulſio. Cauteria, fonticuli, veſicatoria, nulli malignæ febri non commoda ſunt. Venæ ſectio, in iis, qui ferendo ſunt, ante quartum diem haud inutiliter inſtituitur, imminutionis materiæ & ventilationis gratia, at ubi vires jam fractæ ſunt, non tentanda eſt. Sudorifera hic omnem paginam abſolvunt, ea quidem initio, quibus fervor ſedetur, volatilia ad officium quietius redeant, & conſiſtentia legitima, tum acidorum augmento, tum ſalium caſtigatione, maſſæ reſtituatur, deinde quando deperditis volatilibus coagulatio imminet, quibus ea blande impediatur, ſolvatur, vitioſaque è corpore eliminentur ſudoris beneficio, cui malignitati corrigendæ, fervori impediendo, & cauſæ expellendæ conveniens inſtituatur diæta, fugiendo omnia, quæ impedimento eſſe poſſent. Correctio aëris, tenuis cibus, potusque medicamentoſi & alia, jam ſupra delineata. Sunt ea, quæ ſal acrius corrigunt, oleoſa inprimis terreſtri multo & auſtero permixta; oleoſa volatilia ſalſa olei corruptionem ſaliſque emendant; acrimoniam temperant ea, quæ ſpiritu acido & puriſſimo phlegmate abundant; acidi denique vires vel reparant vel augent ſimiles ſpiritus ſuccique. Quæ quidem omnia pro morbi differentiis judicioſè ſeligenda. In Anglico Sudore colliquatio ſtatim obtundatur oleoſis, terreſtribus, auſteris, terris ſcil. ſigillatis, C. C. phil. ppt. corall. margarit. Spec. liberant. de gemm. frig. Succ. citr. granat. acetoſ. aliquot gutt.

gutt. ſpirit. acidorum; non tamen nimia hic alteratione ſtatim peccetur, aut n. n. importunitate, quippe obſervatum eſt, ſi ægrotus in æquabili temperamento quoad veſtes & focum detentus eſſet, tepidumque bibiſſet, & cordialia etiam temperata ſumſiſſet, unde naturæ ipſius opus nec calore irritetur, nec frigore repellatur, plerumque ſanitatem ſubſequi. MORBUM HUNGARICUM lenis ab initio vacuatio, ſeu per vomitum ſeu ſeceſſum, feliciter aliquando adoritur, non temerè tentanda poſt principii defluxum. Venæſectio utilior videtur, qua illegitima ob fuliginum tranſpirationem impeditam plethora, ferociensque à ſale impetuoſo impetus, ex parte mitigatur, in partibus inferioribus inſtituenda, qua ratione ſedari capitis dolorem dicunt, vel ejus vicaria ſacrificatio, qua dorſum aperiatur. Tum omni cura pororum apertio concilietur; ipſique ſali frænum injiciatur, quod beneficio acidiuſculorum ſudoriferorum potiſſimum fiet, qualia ſunt aceta theriacalia, ſpir. nitr. terr. ſigill. vitr. tartariſatus. ſulphuris, cum ſuccis aquisque convenientibus frigidis haurienda. Adjuvet horum vires diæta, quâ aëre temperato ſtragulis corpus probe obtegatur, tenuis acidiuſculusque victus præbeatur, cavendo ab omnibus iis, quæ tum caput vaporibus replere, tum ſalis vitia augere, tum fervorem promovere poſſent. PUNCTICULARIS FEBRIS principio vomitum, lenem purgationem & venæſectionem in plethoricis & impuris uti non plane reſpuit, ita maculis jam præ-

præſentibus certiſſima morte ulciſcitur hanc temeritatem, paritura melius convenientibus ſudoriferis, quibus & olei, & acidi, & ſalſi, peccatis occurritur, magno judicio offerendis, ne, dum uni peccantium ſuccurritur, alterius vitia augeantur. Conferunt Unicorn. Bezoar. or. & occid. raſpat. C. C. off. ſerpent. Rad. bardanæ, contraj· ſucciſ. pulv. bezoard. comp. Spec. liberant. de hyacinth. Mixt. ſimpl. cum temperatis aquis offerenda, febrifug. Schrod. Scorzoner. Bardan. Cordial. temp. Aq. C. C. compoſ. utili magis propter alia ingredientia, quam ob C. C. admixtionem in deſtill. p. MB. Electuarium rure efficaciſſimum habui, multorum ſanitate confirmatum, Recip. Rob. Sambuc. unc. x. pulv. rad. vincetox. valerian. tormentill. ſucciſ. ana unc. j. ſem. ſal. trifol. fibrin. drach. ij. miſc. f. elect. ad oll. Corpus interea probe obtegatur, & macularum eruptio ſtudioſiſſime promoveatur frictionibus, lotionibus calidis ſpirituoſis, veſicatoriis, attrahentibus paſſim adhibitis. Ubi alvi fluxus, vel hæmorrhagia, debili ægro acceſſerit, omni ſtudio cohibebis, non tamen propere, at criticum conatum ſinere oportet. Pestilentis Febris curam colliges ex peſtis reſolutoriæ tractatione. Maligna vero Simpliciter primis diebus univerſalia raro averſatur, poſt quæ ſudorifera ſtatim adhibeantur malignitati opponenda aptè, pro cujus ratione, ex cauſæ ſcrutinio addiſcenda, alia atque alia offerri debent, adeo ut ſingulis diebus ad minimum ſemel ſudet æger, quod fiet per

pulv.

pulv. bezoard. comp. Senn. Pannon. rub. Elixir Tychon. Spir. C. C. Mixt. ſimpl. Tinct. Myrrh. Aceta bezoardica, Elect. diaſcord. rad. petaſit. angelic. bardan. prudentiſſimè ab inclyt. Fac. Med. Hafnienſi publicè commendata. Plures ruſticorum, cum in aula Illuſtriſſimi Domini Magni Venatoris & Equitis Hahnei eſſem, malignis febribus laborantes, omnis ſexus & ætatis, convaluere pulvere C. C. ſic parato: Recip. Scob. C. C. q. l. affunde lixivii trifol. fibrini ex propria aqua & ſale parati q. ſ. ad macerationem. Reſiccato blande hoc C. C. & pulueriſato, iterum iterumque ſimilia fac, & ſerva pulverem uſui. Alium etiam parabam ex hujus pulv. C. C. unc. iij. rad. ſucciſ. tormentill. vincetox. ana unc. j. fol. trifol. fibrin. drach. vj. nitr. ppt. unc. ſem. miſc. porrigendum in cereviſ. calida, cui fumar. vel aliud diaphoret. incoctum erat. Ceſſante ſudoris ſtillicidio, probe tamen ſervetur corpus obtectum, ut jugi transſpiratione madeat, ad cujus promotionem omnis non naturalium uſus conſpiret.

§. 3. In ſanguinis ſpirituaſcentia & maturitate promovenda, hujusque impedimentorum remotione, verſatur tota SCORBUTI ſanatio, Vomitus hic utiliſſimus eſt, quo tot ventriculi impuritates, fomenta mali, eradicantur, tum purgantia non fortiora, ſed mediocria ex ſenna, rheo, gialappa & aliis, præſertim in infuſione cum appropriatis, aut in ſubſtantia, vel pilulis, ſumpta ſæpe repeti convenit, præmitti vero hiſce ſemper aliquid, quo viæ lubriciores

ciores, humoresque aptiores, eductioni fiant. Ferunt ii, quibus cruditas acido-phlegmatica major eſt, largiores doſes purgantium, quibus ſcorbutus à ſale & oleo effrænibus, parciores. Venæſectionem fervor ſæpe & repletio heterogenea imperat, ſæpe defectus virium diſſuadet, hirudinum, hæmorrhoidum & cucurbitularum, inſignis utilitas. Diuretica magna utilitate peccans ſerum eliminant vitioſis ichoribus prægnans, inter quæ ſpirit. & tinctura Tartari, ſpir. nitr. ſalis dulc. emulſiones ſem. frigid. maj. & min. c. aq. convenient. eſſent. conor. pini, clyſſ. mineral. lap. prunell. ſpir. nitr. Omnibus palmam præripiunt ſudorifera cauſæ morbi appropriata, peccantes ejus portiones *vel* incidendo, attenuando, per auctum ſanguinis fervorem eliminando, qualia ſunt decocta lign. ſpiritus C. C. cochleariæ, naſturtii eſſentificatus, ſalia cardui bened. trifol. fibr. eſſ. ſcorbut. D. Sim. Paulli, & ejusdem eſſ. abſ. comp. ſal. eſſential. cochlear. & alia; *vel* ferocientes maſſamque deſerturas corrigendo, vinciendo & quaſi præcipitando, quæ acidiuſcula ſunt, & oleoſo-terreſtria. Haud inconcinne mixturæ utrorumque ſæpe fiunt, vel Grönlandorum exemplo, quos cochleariam acetoſamque jungere conſtat. Sæpius ita ſudare conducit. At, quo maſſæ ſanguineæ ſua reſtituatur integritas, cauſæ omnes externæ, quibus hæc cruditas deberi poſſet, fugiantur, alimentaque tum optimi ſucci, tum medicamentoſa, jugiter aſſumantur antiſcorbuticis prægnata remediis. Quod nomen tuentur merito beccabun-

cabunga, naſturtium, cochlearia, trifolium fibrinum, de quo alibi ex profeſſo loquemur, raphanus ruſticanus, abſinthium, chelidonium minus, fumaria, ſinapi, coni abietis, juniperus, aq. antiſcorbuticæ variæ, ſalia, eſſentiæ, ſpiritus, magno numero. Tuentur idem mala aurantia, citria, cremor tartari, mars præparatus aperitivus, ſpir. ſal. ſulph. tartar. vitrioli, atque alia. Quorum quotidianus ſit & frequens uſus. Neque tamen & hiſce ſcopo ſatisfiet, niſi partium robur reſtituatur, quæ circa ſanguinis elaborationem occupantur. Magnum medicamen eſt eſſent. abſinth. D. D. Sim. Paulli, ex miſt. eſſent. hyperic. extr. abſinth. compoſitum. Suaſi guttas aliquot ſp. lign. ſanct. elix. propriet. & citri mixtorum, bono effectu. Interea Deum teſtari poſſum, ſolius trifolii fibrini decocto in cereviſia, largiter & continue poto, nullis aliis præmiſſis, ſæpeque eodem prolecta ſudatione, complures, etiam ſenes, rure reſtituiſſe me ſcorbuticos multorum annorum. Venus neſcio qua religione & uſu ſcorbuticis concedi poſſit? Reliqua excernenda ſtudioſè promoveantur, arte naturæ auxilia ferente. Neque parum refert ſalivæ correctionem procuraſſe, quod collutionibus oris, ſublingualibus, fumis, ex antiſcorbuticis paratis, fieri commode poterit. Motus quiete præſtat, tranquillitas & lætitia animi potior affectibus tum impetuoſis, tum obſcuris. Conferantur quæ c. 5. §. 3. dicta ſunt, ex æquo huc trahenda.

§. 4. LUIS GALLICÆ cura in extirpatione

tione cauſæ & correctione maſſæ tota conſiſtit. Inchoatur à lenientibus & primas vias abluentibus, nunquam inutilibus; quibus plenius corpus, & fervor major, V. S. ferunt facilè, parcius tamen inſtituendam, ubi jam bubones ſe ſiſtunt conſpectui. Tum repetitis per epicraſin purgationibus, ſero craſſis ſalinis terrenisque particulis abundanti dicatis, eliminetur peccantis materiæ pars, admixtis ſemper iis, quæ corruptioni huic ſpecificè adverſantur, Jalappa, Turbith. mercur. dulc. mechoacanna, ſenna, helleborus, colocynthis, confectio Hamech, præcipua ſunt purgantium. At, ſi malum nondum maſſam corripuit, hærens in partibus adhuc externis, neutrum horum convenit. Tum ſpecificis correctio maſſæ, & vitii per excretiones ſenſibiles eductio, procuretur. Sunt hæc, quæ ſalis ſpirituumque fixitati & corruptioni reſiſtunt, illaque vel volatiliſant, vel ad nocendum ineptiora reddunt, aptiora vero ad evacuationem. Faciunt hæc, quæ tenuitate partium ſunt inſignia, quibus volatiliſatur fixum, & quæ ſubtili reſina angulos peccantes oblinunt, & quibus ſalia in alium ſubſtantiæ modum coguntur, qualia acida ſunt volatiliora, omnia nativum calorem, ſanguinis purificatorem, excitantia. Laudatiſſima ſunt lignum guajacum, ſaſſafras, rad. ſarſæ & chinæ, quibus accenſentur juniperus, abies, ſaponaria, perſicaria, ebenum, quercus, volatilia ſalia oleoſa, ſpiritus ſalis dulcis, nitri dulc. Mixt. ſimpl. clyſſ. mineral. Ex vegetabilibus parantur decocta, ſpiritus & re-

 ſinæ,

ſinæ, &c. Nobiliſſimus uſus eſt decoctorum, ſemper continuandus. Frequenter præſcribo: Recip. lign. ſanct. rad. chin. ana unc. ij. ſarſapar. lign. ſaſſafr. ana unc. j. liquirit. unc. j. ſem. inciſ. & contus. coq. in dipl. in aq. fontan lib. vj. ad. reman. libr. iiij. colat. adde ſyr. de fumar. unc. iiij. ſpir. ſalis dulc. drach. ij. Mane veſperique fiat hauſtus. remanens materia iterum coquatur cum cereviſia pro potu ordinario. Sudor pro ægri viribus proliciatur cottidie, aut alternis, ſatis diu, poſt hauſtum dicti decocti vel ſolius, vel ſuperadditis guttis xxx. mixturæ ex recip. ſpir. lign. ſanct. ſaſſafr. Mixt. ſimpl. ana unc. ſem. aut alius ſimilis. Venator aliquis, per aliquot dies continuato ſudore in lecto, ſolius mixturæ ſpir. lign. ſanct. & clyſſ. mineral. uſu, ſanatus eſt, & ejus uxor, quam ſponſam oſculis infecerat, ſimiliter per decoctum hoc eosdemque ſpititus convaluit. Si intimius malum egerit radices & æger ad ſudandum difficilis ſit, ſumpto ſudorifero laconicum ingrediatur, cavendo fatum Haſſiæ Principis. Sudandum vero, quamdiu vires ferunt, quæ inter ſudores refocillari queunt roborantibus morbo non adverſis, conf. alckerm. de hyacinth. conſ. roſ. vitriol. de tot. citr. malo citrio in fruſta diſſecto ſaccharoque edulcorato, Julep. ex aq. roſ. ſcorzoner. bardan. ſyr. fumar. rub. idæi, ſpirituum acidorum, aut nitri puriſſimi, additamento ſuaviores. Sed unde nummi? Octava aut decima quaque die purgans ſumendum. pil. ex reſ. jalapp. guajac. turbith. mercur. dulc.

vel

vel quacunque forma libuerit. Nec diureſis ſpernenda, qua contumaces humorum errores ſæpe expurgantur, excitanda per dicta diaphoretica, ſumendo ea in minori doſi, addendoque quædam ex urinam moventibus vulgo notis. Penetrantiſſima cura eſt, quam Mercurius vivus molitur. Extra adhibitus adeo penetrat, ut vehementi commotione humores incidat, attenuet, moveat, concitatosque & fuſos per ſalivationem potiſſimum educat, quanquam ſæpe non ſine graviſſimis ſymptomatis, partium oris inflammatione & exulceratione, nigredine & vacillatione dentium, gingivarum exeſione, aliquando paralyſi, tremore, variisque fluxionibus horrendis. Adhibetur ad curam morbi vel ſuffumigiis, ſive ſolus, ſive cum cinnabari, ſive cum aliis remixtus, ægro in papilione ſuffitum vel toto corpore, vel parte aliqua, excipiente, qui utendi modus, præſertim cum cinnabari cruda, ob copioſum Arſenicale ſulphur, quo ſcatet, periculoſiſſimus cenſetur, non niſi in extrema deſperatione adhibendus, vel inunctione, dum remixtum adipi ſuillo non ſalito mediis potiſſimum artubus illinitur, magno in confirmata lue & vel unico ſolatio, cui unguini qui caput partesque nervoſas defendentia remiſcent, male non faciunt. Sunt tamen ab hac cura arcendi, quibus cerebrum nervoſumque genus habitualem induit imbecillitatem, quibus ſpiritus per pulmonum bronchias arctius meat, & qui fluxibus quibuscunque p. n. obnoxii ſunt. Cæterum comedat æger non nimium, eaque tantum, quibus vitia

 ſalia

ſalia non augeantur, ſed imminuantur. Non acria, calida, ſalſa, allium, caſeum, ſpiritum vini, ſed cichoreacea, acetoſa, carnes juniores. Ira, triſtitia, mœror, Venus, deteſtanda.

§. 5. Jamque incidimus in CATARRHOS, quos tollemus materiæ eductione, fluxus correctione, & partium cura. Ubi à copioſo ſero fuliginibus variis repleto tenuis vexat catarrhus, prodeſt aliquando, illud purgatione educere frequentiori, quam fortiori, ne inducta fermentatione illius impetus ferociat magis; aliquando venam aperire conducit, quo portio ejus evacuetur, ſanguinique ventilatio & aliquale refrigerium concilietur; nunquam non proderit ſummoperè, ſudoribus diffluere, ſive malignæ corruptionis aliquid, ſive nihil ejusmodi, foverit cauſa in ſinu, quos, non volatilia illa ſalſaque & ſanguini fervorem inducentia, ſed præcipitantia potius figentia & quorum virtus volatilis terreſtri aliquo remiſta eſt, convenientes concitant, v. gr. lap. bezoard. unicorn. raſp. & ppt. C. C. phil. ppt. corall. nitr. ppt. margarit. ppt. terr. ſigill. pulv. biſtort. tormentill. ſæpe etiam ſpiritus acidi, &c. in aquis convenientibus ſumpta, ut vero pori corporis ſint apertiores pro tranſitu transſpirandorum, frictiones corporis aſperiores, & ablutiones cum ſpongia aqua calida vel vino repleta. Fumigationes cum baccis juniperi, ſuccino, thure, reſina abiegna, &c. non exceſſu excedant, ne, pro apertione pororum, fervor ſanguini iuducatur. Ex partibus vero capitis eva-

evacuetur materia non calidioribus & magis concitantibus, ſed quæ cum blanda adſtrictione materiam educant. Maſtiche & poſt hanc ſalvia, nuclei perſici, agaricus, terra Japonica, maſticata inſignia ſunt apophlegmatiſonta. Gargariſmi ex lap. prunell. ſalv. roſ. rubr. &c. neque inutiles. Errhina huc facientia, ol. amygd. amar. jaſmin. butyr. non ſalit. &c. quibus humoris non ſolum eductio promovetur, ſed & acrimonia corrigitur, quæ ſæpe tanta eſt, ut neceſſario debeat obtundi, quod pil. de cynogloſſ. ſpec. diatrag. frig. pulv. Halii, tragacantha, loch. de portulac. rad. liquirit. amylo, &c. præſtatur. Ipſius vero fluxus vitia divertendo corrigit ſcarificatio, cauterium, phænigmus, fonticulus, impediendo, quæ incraſſandi vi pollent, ſemphyt. maj. acetoſ. cynogloſſ. papav. ſemperviv. nymphæa. ſem. cydonior malva, gum. arabic. tragac. acacia. alb. ovor. bolus, &c. aut adſtringentia, rad. biſtort. acori lut. caryophyllat. pentaphyll. plantag. tormentil. burſ. paſt. equiſet. millefol. &c. aut narcotica, parcius tamen data, papav. rhœas, lactuc. laudan. opiat. pil. de cynogloſſ. extr. anod. Hildan. Quibus omnibus tum intra, tum extra uſurpatis, partes quoque, additis cuique appropriatis, tum mittentes, tum recipientes, defendantur roborenturque. Diæta interea cauſæ morbi contraria inſtituatur, ita tamen, ut ratio morbi & virium permittit. Sin à craſſiori pituita malum ſit ortum, aperiente præparante vaſorum abdominis reſeratio & humo-

rum inciſio inſtituatur, per ſalia abſ. card. bened. cent min. fraxin. tart. vitriolat. crem. tartar. &c. poſtea purgatione per epicraſin educendorum; venæſectio aliquando motus promovendi cauſa convenit, ſed non ſæpe. Diuretica maximo ſunt uſui, ea ſcilicet, quæ incidendo & attenuando fuſam materiam per urethram eliminant, rad. v. aperient. maj. & min. ſalia talium ſimplicium, Tinct. tartar. &c. Ipſa ſudorifera vi quoque magna pollent, quæ, flammam vitalem excitantia, tenuitate partium peccantem lympham incidunt & expellunt, qualia decoct. ligni. rad. chinæ, ſpir. & ſal. C. C. rob. ſambuc. & ebuli cum horum ſpiritu, aliaque plura. Conveniunt hic magis ſuffitus calidiorum fragrantium, ac in priori; poteſt etiam cutis ſpiritu vini ſimplici, vel camphorato, aut caſtoreato, inungi. Hauſtu fumi tabaci, vel, quod minus caput gravat, trifolii fibrini, aniſi, cubebar. nihil melius; impenſe ruſtici in Burgundia mihi folia juglandis laudarunt. Errhina, ſternutatoriaque, ut pulv. tabac. ſimpl. pulv. naſal. D. D. Bartholin. lil. conval. majoran. ſucc. betæ aq. majoran. temperat. atque maſticatoria fortiora, rad. pyrethr. imperator. &c. magnopere conducunt. Fluxum ſedant & corrigunt tum exſiccantia, tum excretionem promoventia, qualia decoct. ligni, præſertim chinæ, elix. propriet. dulc. fl. ſulphur. tum ſimpl. tum aniſat. Tinct. Benzoin. ſyr. cap. vener. veron. oxymel. ſquillit. extr. enul. croci ſpiſſ. & liquid. &c. Partes externè defendunt emplaſtra, diaphoret.

ret. ſtict. Croll. Nervin. Collutiones oris ex digerentibus & blande adſtringentibus, non neglectis appropriatis, v. gr. Recip. fol. roſar. rubr. ſalv. trifol. fibrin. ana M. j. Coq. in q. ſ. aq. expreſſ. adde acet. ſambuc. q. l. f. gargariſm. Inunctiones etiam calidæ olei amygd. d. & amar. Irin. de caſtor. item balſamorum ſuccin. N. M. majoran. roriſmar. apoplect. Diætam hic eſſe attenuantem, affectui contrariam, neceſſe eſt, qui aliquando per aliquot dierum ſpontaneam inediam cedit. Sed hanc in copia rerum quis militi facilè perſuadebit? cui aliquando voto citius neceſſitas talem imperat. In ſuffocatorio catarrho, ſi ab obſtructione viarum aëris eſt, per valida reſolventia eæ expediantur, gumm. ammoniac. benzoin. aq. apoplect. ſpir. vin. rectific. clyſteres acerrimos, olea aromatica & ſalia volatilia largius exhibita, balſ. apoplect. ſuccini: Vomitoriis ſtatim exhibitis profici multum, veriſimile eſt, ſed virium robur deſideratur. Aſt, ubi cauſa eſt in ſanguinis, a craſſiori lympha, impedimento curſus per pulmonum anguſtias, ſtatim ejus ventilatio promoveatur per V. S. pro motu conciliando liberiori reſolventia exhibeantur, tum per os ſal. C. C. ammoniaci, urinæ, fl. ſulph. olea aromatica, tum per inferiora, clyſteres ex generoſiſſimis reſolventibus, attenuantibus & incidentibus compoſiti, tum extrema fricentur fortiter, cucurbitulæ dorſo, phænigmi & veſicatoria raſo capiti, collo glandularumque ſedibus, applicentur.

 §. 6. De-

§. 6. DEBILITATE VENTRICULI liberamus militem, intemperiei ejus alteratione, peccantium materierum ejectione, humorum illius miniſtrorum correctione. Si cauſa præter n. humoroſa ventriculum obduxerit, ſive elevata illuc bilis, ſive è corruptione genita aſſumptorum, ſive lentum phlegma, ſive aquoſa colluvies, tum corruptum fermentum, tum ſaliva deſtructa, tum per catarrhos deſcendens pituita fuerit, vomitu, quam citiſſime fieri poteſt, rejiciantur; aut, ſi debilior jam ventriculus hunc non ſit ferendo, per repetitas purgationes ducatur deorſum, præmiſſis præparantibus, quæ bili frigida & humida, phlegmati incidentia, attenuantia & abſtergentia, mixtis mixta, conveniunt. Tum ipſe ventriculus, quantum fieri poteſt, alteretur convenientiſſimè, cavendo, ne, dum uni morbo medela nimia datur, alter gravior producatur. Calidiori intemperei, eliminata materia, ſi bilis craſſior in culpa fuerit, aut ſalſum acrius intimius pupugerit, conducunt cichoreacea, acetoſæ, lactucæ, ſpinachiæ, braſſicæ juvenes, fl. viola. bugloſſæ, poma acida, mala cydonia, aurantia, pruna, fraga, melones, hordeum, glyzyrrhiza, ſerum lactis tepefactum, emulſiones ſem. 4. fr. maj. ſucci acidiuſculi; tinct. roſar. violar, &c. ex quibus variæ formæ fieri queunt, non neglectis aliquando externis epithematis & unguentis roſat. Meſ. refrig. Gal. ol. violar. &c. ſin dilutior multa aqua lubrica fuerit, proſunt acorum luteum, plantag. tormentill. myrtus, fl. roſar. bacc. myrtillor. ſantala, ſpir. vitriol. ſal dulc.

elix.

elix. propriet. tinct. corallor. eſſent. terr. Japon. &c. Elegans in utroque caſu eſt mixtura: Recip. ſpir. ſal. dulc. tinct. corall. eſſent. catech. ana ſcrup. j. elix. propriet. Parac. drachm. ij. ſyr. roſ. ſicc. unc. ſem. Miſt. ſingulis matutinis veſpertinisque ad gutt. XL. vel L. in liquore idoneo ſumenda. Alias decoct. rad. cichor. acetoſ. an. unc. ij. baccar. berber. drach. ij. fl. roſar. p. ij. in ſero lactis, & expreſſ. elegans eſt. Quibus acidiuſculis & intemperies deletur, & fibræ coëunt arctius, & fermentans ventriculi ſuccus vires recipit naturales. In frigida cauſa, poſt evacuationem, alteretur ſtomachus internè abſinthio, ſalvia, mentha, roremarino, ſerpill. thym. betonic. meliſſ. lavandul. junipero, lauro, N. M. aniſ. coriandr. fœnicul. carui, cal. aromat. zingib. mace, caryoph. cinnamom. galang. zedoar. xyloaloë, enula, vinum ejusque ſpiritus, ſimplex & his infectus, pulveres, condita, ſpiritus &c. innumera, ex quibus non inutilis: Recip. ſpir. maſtich. c. aq. vit. ſtomachal. an. unc. j. elix. propriet. dulc. drach. ij. ſyr. menthæ unc. j. ſem. miſc. doſis cochlear. vel Recip. extr. abſinth. ſimpl. unc. j. extr. calam. aromat. enul. an drach. ſem. miſc. doſis gutt. XL. vel ultra. Solum ſufficere poteſt abſinth. infuſ. in ſpir. vin. Dan. Jungi externe poſſunt ol. deſtillata calida omnia, præſertim menthæ & N. M. Dum hæc fiunt, ſtudendum, ut & ipſi miniſtri humores nativum recuperent tenorem. Melior fit ſaliva, corrigendo ſordes oris lotionibus, & detentione in ore rerum ejus ſalina ſpicula vel obtundentium vel

vel augentium. Ea vero, quæ ingeruntur, ſemper pro fermenti ratione ſeſe habeant, adeo ut, ubi illud nimium ferocit, talia aſſumantur, quibus illius vis, ſive enervando, ſive præcipitando, ſive diluendo, infringatur, ubi debilius fuerit, augeatur. Par ratio bilis & ſucci parcreatici eſt. Interea cavendum, ne vim medicaminum ſtomachicorum, quibus omnibus vis inſit ſeu per ſe ſeu per accidens adſtrictoria, perverſa diæta invertat, quæ, ut recta ſit, inſtituatur ut dictum ſuperius.

§. 7. Ut ventriculi vitia ALVINOS FLUXUS producunt, ita, curatis illis, etiam hi ceſſare ſolent qui mitiores ſunt, at graviores peculiarem adhuc aliquam obſervationem requirunt. *Lienteriam* ſanat correctio fermenti, & robus fibris ventriculi reſtitutum, vel ulceroſæ ventriculi diſpoſitionis, per mitigantia, abſtergentia & conſolidantia, correctio. *Cœliacam* ſucci pancreatici imminutio, per ſudores & purgationes blandè inſtitutas, ejusdemque qualitatum reſtitutio, per acidiuſcula & auſterula blanda, aut bilis ſimilis tractatio, ſi quidem hæc peccaverit, aut apertio blanda oſculorum vaſorum lacteorum, beneficio incidentium mobiliorum, v. gr. crem. tartar. tart. vitriol. ſal. tart. nutrit. ſal. abſinth. card. bened. &c. & obſtruentis humoris lenem evacuationem curat. *Fluxus hepaticus* tollitur ſeri imminutione, quam purgationes blandæ, ſudorifera & diuretica non calida nimis, procurant, vitando omnia ea, quibus, ſive materialiter ſive effectivè, ſerum in corpore acrius generatur, roborando interea ventriculum

par-

partesque adſtringentibus ſpirituoſis ſubauſteris, vino nigro generoſo, rob. rub. id malis cottoneis conditis, &c. *Fluxum* vero *ſanguineum* corrigunt acrimoniam ſanguinis temperantia, aut, ſi nimius is fuerit, revellentia, atque etiam vas glutinantia, ex plantag. conſol. maj. vitriol. mart. alum. corall. rubr. bol. arm. ſang. drac. gum. trag. arab. &c. vel denique narcoticis. *Diarrhœam* primis ſtatim diebus aggredi conſultum non eſt, in robuſtis enim naturis, multis erroribus obnoxiis, talis ſæpe excretio critico motu & ſucceſſu accidere ſolet. At ubi medicam flagitat manum, Bilioſæ ſuccurrendum per imminutionem bilis, quod fit per purgationes blandas ex rhabarb. manna, tamarindis, non neglectis, quæ illius acrimoniam obtundunt. Si computreſcens in ventriculo alimentorum ſaburra in cauſa ſit, vomitu etiam repetito ea rejiciatur. Si forte concurrerit pancreatius ſuccus, bilem nimis diluens, ſeri imminutio omnibus modis procuretur. Quo facto, tuto adſtringentibus uti licet, non calidis quidem, ſed acidis vel auſteris, vel glutinoſis non ſalſis, v. gr. ſunt cydon. pyra, omphac. terr. ſigill. bol. armen. C.C. uſt. ſpod. ex ebore corall. ppt. portulac. ſemperviv. croc. mart. alchimil. pyrol. ſucc. citr. aurantior. prunor. &c. In pituitoſa diarrhœa craſſum phlegma incidentia primo adhibeantur, ſalia ſcilicet lixiva fixa pariter & volatilia, decocta ligni chinæque ſpirituoſa atque aromatica omnia, deinde illius expurgatio ſuſcipiatur conveniens, aliquoties ubi fuerit opus repetenda, non neglectis reſol-

ven-

ventibus, incidentibus & evacuantibus clyſteribus, quin nec ſudoriferis diureticisque ſpirituoſioribus, ubi non in canali alimentario tantum materia genita eſt, ſed ex toto corpore potius allabitur. Quibus pro neceſſitate adminiſtratis, exſiccantibus tandem & adſtringentibus calidioribus locus eſt, v. gr. millefol. virg. aur. coriandr. ſoph. chirurg. N. M. ſuccin. oliban. vino, menthæ, &c. At in ſeroſa diarrhœa ſtatim modis omnibus iſtius copia imminuatur ſudoribus, urinis & purgatione, tandem adſtrictione pro re nata adhibita. Non male per externa medicamina varia robur partium conciliatur in hiſce diarrhœis. Sciendum autem, adſtrictiones non in his ſervandæ materiæ excrementitiæ gratià præcipi, ſed ne excretionum continuatione aſſueta inteſtina ſervandorum etiam neceſſariorum memoriam deponant. Cæterum ſit diæta malo ejusque cauſæ contraria, quæ facilis eſt intellectu. Longe difficilior eſt *dyſenteriæ*, præſertim malignæ, ut in caſtris utplurimum eſt, curatio. Fit tamen humorum peccantium eductione, eorum motus & qualitatum correctione, & inteſtinorum eroſorum conſolidatione. Itaque ſtatim injicitur clyſma abſterſorium & mitigatorium ex ſolo lacte, poſt obſervato, an eroſionis cauſa potius in inteſtinis hæreat, an ab ingeſtis acrioribus orta ſit? an ſanguine acriori proveniat? Si illud, purgante medicamine, quod nec nimium acre ſit, & aliquam adſtringentem vim relinquat, utere, quale rheum eſt, & mirobalani, quorum in ſubſtantia uſus melior eſt.

Tum

Tum correctioni peccantis humoris ſtude. Bilis quidem acrimoniam temperabunt, quæ eam diluunt, qualia aq. acetoſ. portulac. roſar. aut ejus ſal fixum frangunt, qualia acidiuſcula, non tamen vehementia, ne præſenti jam eroſioni manus auxiliatrices porrigantur, qualia conſ. roſ. rubr. vitriol. ſpir. ſal. dulc. ſucc. berber. rub. id. rib. &c. vel oleoſa mucilagine infringunt, qualia ſeminum oleoſorum emulſiones, mucilag. tragac. arabic. ſem. cydonior. pil. de cynogloſſ. jura capitum pedumque animalium, &c. At aciditate exorbitans liquor pancreaticus corrigitur alcalibus fixis & volatilibus, ſal. C. C. urin. abſinth. card. bened. fraxin. vel præcipitantibus & imbibentibus, qualia Oc. cancr. C. C. uſt. marg. corall. lap. hæmat. limat. mart. creta, &c. vel oleoſis tum craſſioribus, qualia ſimiliter emulſiones, decocta, &c. tum ſpirituoſis, ut ſpir. vin. tartariſat. oleis N. M. maſtich. menth. deſt. imprægnatus. Quibus ita evacuatis & alteratis, tuto adſtringentia mundificantibus primo mixta, mox ſola cum glutinantibus adhibentur. At ubi alimentorum vitiis malum debetur, ſtatim per ſuperna infernaque ea rejiciantur, mox reliquiarum acrimonia blandientibus lacteis corrigatur, reſtituanturque inteſtina ſuæ integritati. Verum ubi in ipſa maſſa ſanguinea hoſpes dyſentericus ſtabulatur, non verebor curationem anodino clyſtere ſimplici vel compoſito ordiri, deinde ubi ſanguinis copia aut fervor urgeat, eum è vena emittere ante primum ſtatim quatriduum non multum quidem ſimul, ſed, ubi opus fuerit, repeti-

peti-

petitis vicibus, tum ſtatim diaphoreticum materiam malignam imbibens, præcipitans ſuperfluumque humorem per poros eliminans, daturus, qualia terra ſigillata C. C. uſt. tormentill. biſtort. theriac. Andromach. diaſcord. ſpodium ex ebore, nitr. ppt. antim. diaphoret. &c. idque toties quoties opus videbitur, omiſſa alia, quam quæ blande abſtergendo collectam in inteſtinis materiam ſemper mora acriorem futuram leniſſime operatur, purgatione, dando decoctum abſinthii in cereviſia clara veterique vel ſolum vel aliis remixtum, aut mell. roſat. colat. cum ſyr. de roſ. ſicc. in aq. abſinth. card. bened. cent. min. conyzæ, &c. At ut malignæ fuligines promptius corpus deſerant divertanturque, inſignes ſinapiſmos & veſicatoria paſſim cuti applicare convenit. Convenit præterea ferocientem motum, ſi dictis ſudoriferis non paruerit, incraſſantibus, ſiſtentibus & narcoticis ſiſtere, qualia ſyr. papav. errat. diacodia, nymphæa, philonia, requies Nicol. theriac. rec. extr. croci. pilul. de cynogloſſ. extra anod. Hild. ipſum denique laudanum opiat. Tum peracta abſterſione, per interna atque clyſteres lacteos, quibus furfures, hord. delibrat. verbaſc. melil. incocta erant, remixtaque mel. roſ. anthoſ. mercurial. eatur ad tutam conſolidationem inteſtinorum per ea, quæ longa experientia tutiſſima invenit ex tormentill. biſtort. conyza. C. C. uſt. corall. rubr. terris ſigillatis, bol. armen. acetoſ. plantag. quercu, roſ. ſicc. cydon. gumm. arab. maſtich. tragac. ſang. dracon. eſſent. mart. adſtrict. tinctur. corall.




Fig.I. Fig.II. Fig. III. Fig.IV. Fig.V. Fig.VI.

corall. præp. hæmat. croc. mart. adſtrict. pulveres dyſenterici officinarum, & fortiſſimè aq. ſtiptica Hafnienſis modo ſecurè intra corpus ſumi queat. An topica frigida & adſtringentia quicquam prodeſſe poſſint, valde ob occluſionem pororum dubito, pluris facturus ea, quæ aperiendo & extrahendo efficacia ſunt.

CAPUT. VIII.

De curatione ſymptomatum.

§. 1. Quanquam, exauctorata cauſa ceſſanteque morbo, ipſa etiam ſymptomata ſponte expirent, tantum tamen, dum adſunt, ægros ſæpe affligunt, ut primam ſtatim medicam manum & promptam mitigationem urgeant. Quo in caſu etiam atque etiam obſervandum, ne ſymptomati urgenti talia opponantur, quorum vi cauſa morbusque foveatur & alatur, ſed ea tantum, quæ generalem intentionem omnino adjuvent, aut ſaltem non turbent. Quare non eadem ſemper ſunt medicamenta, quæ iisdem ſymptomatis in diverſis morbis conducunt, aut ſi ſint eadem, ratione tamen vehiculorum, modi aliarumque circumſtantiarum, pro affectuum diverſitate differunt. Breviter potiora recenſebimus.

§. 2. Capitis Dolor in Peſte, Febb. peſtil. Scorbuto, Lue Gallica, & Catarrhis, ſudoriferis & extrahentibus tractetur, veſica-

 tor.

tor. in nucha, heder. terr contuſ. cervicì imponitur, fermentum cum ruta, acet. ſamb. & ſale, vel halec diſſectus, plantis pedum, columba diſſecta calide capiti imponitur; vel aq. verben. acet. roſat. croc. & zedoar. fiat epithem. vel camphor. diſſol. in ſpir. vin. cum oxyrrhod. Si à nimio fervore DELIRIUM orietur, non potentius quam per ſpirit. nitr. ſedatur. EPILEPTICOS INSULTUS ea ſedant, quæ acidum vellicans nervos enervant, vel in meliorem ſtatum reducunt, vel imbibunt. Spir. ol. & ſal. volatilia cran. hum. C. C. ungv. alcis, tinct. antimon. rad. pœon. aq. hirund. ceraſor. & VIGILIAS nimias corrigunt ungv. ſomnifer. ol. hyoſc. aneth. emulſ. ſem frig. & lactuc. præ omnibus laud. opiat. SOMNUM nimium infringunt betonica, majoran. ſerpill. omniaque, quæ ſpiritus reddunt agiliores. PARALYSES ſolvunt, quæ partes roborant & materiam, nervos ſeu comprimentem ſeu obſtruentem, tollunt, v. gr. caſtoreum, lumbrici, ſuccinum, olea & ſalia volatilia, emplaſtra diaphoret. nervin. aromatici ſpiritus & eſſentiæ. LASSITUDO & INQUIETUDO, RIGOR & VAGI DOLORES deſinunt per ſudores, partiumque pororum apertionem frictionibus, lotionibus ſpirituoſis, &c. CONTRACTURAS membrorum cauſæ peccantis remotio per ſudores largos, nervorum robora, muſculorum demulſiones, atque valida diſcutientia, ſpiritus juniperi ol. philoſoph. caſtor. vulpin. lumbric. ſuccin, &c. AURIUM ſuſurros ſanant ſudorifera,

riſera, tum ea, quæ magna vi diſcutiendi pollent, v. gr. oleoſa ſalſa volatilia, cepa calida diſſecta aurique applicata, ol. trifol. fibrin. ſuccin. C. C. goſſipio excepta. Ophthalmias curant, quæ blanda adſtrictione oculo refrigerium afferunt, aut tenuitate partium moleſtias diſcutiunt, aq. ophthalmica noſtra, ungv. ophthalmic. ab illuſtri Bartholino Actis Medicis inſerta, aq. trifol. fibrin. cum ſucco rad. chelidon. croco & album. ovor. vel album ovor. c. ſpirit. vin. conquaſſat. Dentium Dolores ſedantur interceptione; incomparabile remedium caſu offendi empl. ſtict. Croll. temporibus applicatum, empl. catarrhal. atque adſtrictione gingivarum, de qua materia plauſtra reperies formularum. Illuſtriſſimæ Dominæ experientia nullum præſentius eſt euporiſton, quam ſcobs ligni abiegn. cereviſiæ incocta, & calidè id decoctum ore detentum. Foetor & Sanguinolentia mundificantibus & adſtringentibus cedit, decoct. ſalv. trifol. fibr. millefol. in q. ſ. vini rubri, vel aquæ cum aceto roſac. Recip. aq. plantag. roſar. ana unc. ij. ſpir. cochl. drach. j. tinct. lacc. unc. j. miſc. vel aqua pura, in qua nitrum & ſal commune diluta ſunt. Dentifricium elegans eſt ex Tart. albiſſ. rad. ireos, & terr. Vitriol. Narium Obstructiones errhinis ſanantur.

§. 3. Anginam cita raninarum ſectio, extrahentia externa, v. gr. nidus hirundinum, cucurbitulæ, ſinapiſmi, & repellentia ore aſſumpta, plantag. brunella, Nitr. ppt. Tuſ-

SIM aſperæ arteriæ demulſio, & materiæ; tum ne ruat ad pectus, impeditio, tum præſentis conveniens eductio, ſeu per reſolventia, ſeu incraſſantia, ſedat. balſ. ſulph. uterque, ſpir. ſal. duſc. elix. propriet. dulc. lac ſulph. crocus, oxymel ſquillit. ab eſu aliquot aſparagorum, triſ. fibr. illuſtri alicui Heroi nuper vomicam pulmonum excretam vidi: enula campana, aniſ. fl. ſulph. &c. PHTHISIN, præter dicta tuſſi adverſa, ſedant, quæ abſtergendo conſolidandoque pulmones & pure liberant, & ſanant. Maximi eſt piloſella major, melior heder. terreſtr. aliquoties multum præſtiti per decoct. braſſic. rubr. capit. in lacte addendo ſem. aniſ. & ſach. cand. Decocta rad. chin. liquir. & enul. c. aliquot manip. tuſſil. cap. vener. pulmonar. mac. cum ſyr. de alth. & heder. terr. addendo ſpir. ſal. dulc. q. ſ. egregia ſunt. PLEURITIS curatur cita V. S. niſi fuerit ſymptoma maligni morbi, ſeqq. ſudore per ſcabioſ. card. bened. pap. rhœas, omniaque acidum corrigentia. FEBRES in malignis poſt quartum diem V. S. non ferunt, in aliis facilius, curantur ſudoriferis potiſſimum, convenienter fervorem mitigantibus. In intermittentibus tam ordinatis, quam erraticis, convenientius nihil deprehendi lixivio trifòl. fibrin. ſpirituoſiſſimo. Salia alia lixiva, olea & ſpiritus, notiſſima ſunt. Peſſimæ ſunt, quæ à ſcorbuto proficiſcuntur, pro ratione cauſarum ſcorbuti diverſimode tractandæ. Spiritus ſal. dulc. & clyſſ. mineral. non poſſunt non eſſe commendatiſſimi, convenienter

ſumpti.

ſumpti. Palpitationes Cordis tolluntur ejus, quod cordi moleſtum eſt, è ſanguine ablatione & illius roboratione. Commendant V. S. prohibent purgationem, niſi primæ viæ impuritatibus ſcateant, laudant malum citrium, confect. alcherm. ſpec. diambr. tinct. ſmaragd. theriac. roſas, &c. Lipothymia & lapſus virium debellatur ſpirituoſorum exhibitione, aq. vit omnis generis, ſal. volatil. oleoſis, ſpiritibus penetrantibus, electuar. confortantibus conf. alckerm. de hyacinth. elect. de gemm. cal. vino bono fragrante, &c. Extrinſecus aceta variè infecta pulſibus applicata, admota naribus, balſama apoplect. cinnam. rut. ſuccin. roſar. &c. proſunt.

§. 4. Sitis Nimia debellatur tum humoris ſalſi correctione, per refrigerantia valida, aq. ſimpl. vel quacunque conveniente alb. ovor. mixta c. q. l. ſpir. vitriol. vel nitr. vel ſal. vel ſulph. vel nitr. ppt. vel ſuccis acid. moror. berber. rib. rub. id. &c. tum oris ſiccitate atque etiam mucilagine ablata; illam corrigunt humida ore detenta, v. gr. ſed. majus, nitr. ppt. ſpir. ſal. coagul. mucil. ſem. cydon. tragac. acetoſ. berber. &c. hanc abſtergentia, decoct. berber. brunell, furſur. hord. crudi. mel. roſar. violar. lap. prunell. atque etiam lintea & inſtrumenta chirurgica abſterſoria. Appetitum Imminutum reſtituunt ventriculum roborantia, elix. propriet. tinct. corallior. abſinth. aromata. Auctum ſedant ea, quæ acidum enervant, de quibus ſæpius. Tormina clyſteres ſedant anodyni,

impoſita ſimilia, & aſſumpta tum vacuantia, tum diſcutientia, tum anodyna. MURMURA HYPOCHONDRIORUM levant apertiones per tinct. ſal. nutrit. & cremor. tartar. tart. vitr. ſal. volatilia & fixa, acidorumque contraria, mars, oc. cancr. corall. C. C. uſt. &c. HYDROPIS cura eſt in vacuatione ſeri per omnes vias, atque etiam per fonticulos & veſicatoria, quibus & lymphæ ſtagnum prohibetur. Ruſticos aliquot inveteratos jam hydropicos reſtitui ſolo infuſo trifol. fibrin. herb. vincetox. rad. enul. raphan. ruſtic. cortic. ſambuc. flor. bugloſſ. & ſem. carvi in ſero lactis, cujus largum hauſtum æger ter dietim ſumſit.

§. 5. DOLORES ARTUUM FIXOS ſolvent reſolventia & diſcutientia valida, ol. philoſ. ſuccin. caſtor. lavandul. roriſmar. empl. diaphoret. nervin. opodeldoch. anodin. D. D. Sim. Paulli, pedibus pediluvia commoda, ex aq. ſalſa cum abrot. abſinth. chamædr. chamæpyth. meliſſ. origan. roremar. arthemiſ. VAGORUM tota ſanatio in pororum apertione, & ferocientis ſeri multis ſalſis corruptis ſpiculis prægnantis expulſione correctioneque, abſolvitur.

§. 6. HÆMORRHAGIAS narium ſiſtunt ſtercora, ſuillum & aſininum, oſſa pulveriſata, crepitus lupi, adſtringentia quælibet, ſubiti horrores, oxyrrhodina fronti applicata, refrigerationes pudendorum, revulſiones per attrahentia, interceptiones per V. S. ligaturasque, optime aq. ſtyptica Hafnienſis, tum à Gallo com-

communicata, tum quam experientiſſimus Beckerus ex vitriol. mart. & alum. elaboravit, uſu etiam interno tutiſſima. Ptyalismum corrigunt ea, quæ materiam evacuant, cum blanda ſequente adſtrictione, fumus tabaci, trifolii fibrini, lavandulæ, maſtiche & olibanum maſticata, &c. Vomitum ſanant ea, quæ materiam hujus cauſam rejiciunt, vel obtundunt: ibi vomitus vomitu curatur, hic cauſæ qualitas alteratur: non neglecta fibrarum ventriculi roboratione. Constipationem, in malignis raro aggrediendam, niſi primis admodum diebus, ſolvunt varia tum ingeſta ori, tum infuſa in anum, tum eidem intruſa, de quibus ſupra. Alvi Fluxus convenientibus ſiſtendus, in malignis rariſſimè bonus, præſertim qui poſt quartum diem imminet, qualia ſunt clyſteres adſtringentes, theriaca, bolus arm. rad. biſtort. torment. terr. ſigill. corall. &c. In quibus excretionibus omnibus, probe dignoſcat medicus neceſſe eſt, criticone, an ſymptomatico, an mixto, modo fiant, facile alias præpoſtera diligentia ægrum jugulaturus. Urinæ Vitiis ſupra quædam dedimus. Gonorrhoea, præſertim virulenta, ſpecificis abſtergentibus, mitigantibus & conſolidantibus curatur, laudantur terebinthina, reſ. guajac. mercur. dulc. mag. ſaturn. camphora, &c.

§. 7. Maculas tempus delet & ſudor, tolli tamen poſſunt frictionibus, lotionibus abſterſivis & aperientibus poros, v. gr. c. ſpir. vini, aq. fabar. decoct. furfur. ſigill. ſalom. Multis gratum olim deſtillatum commendavi,

ex rad. ſigill. ſalom. ireos noſtrat. lapathi ; ana, inciſ. affund. ſer. lactis q. ſ. ſtent in digeſt. per dies iij. poſtea deſtill. idque vice tertia ſuper recentibus radicibus, concilietur odor pro lubitu. SCABIEM, poſt univerſalia, decoct. fol. tabac. lapath. furfur. ſulph. vitriol. laur. vitell. ovor. c. ſale. præſertim ungv. pomad. c. mercur. præcip. & alia tollunt. ULCERA ſanant abſtergentia, carne implentia, & reſiccantia; in ſcorbuticis exaſperantur plerumque pinguibus ac emplaſtris: ſolum decoctum abſinth. vel trifol. fibr. in aqua marina præſtantiſſimum eſt remedium: nec minus utilis pulvis ariſtolochiæ rotundæ; tibias plurimo ulcere inveterato puellæ ſcorbuticæ reſtitutas vidimus inunctis aliquandiu ſuccis alliariæ, trif. fibr. hyperici & plantaginis: quin ſola dicti trifolii folia recentia impoſita multum præſtant. CARIES OSSIUM, GUMMATA GALLICA, GANGRÆNÆ, CONDYLOMATA, OMNISQUE GENERIS TUMORES huc poſſent referri, poſſent & plura SYMPTOMATA recenſeri, ſed non nobis animus fuit univerſæ praxeos ſchema exhibere, ſed ſolummodo ea, quorum ex malis internis potiſſima in caſtris eſt frequentia, breviter percurrere. Neque etiam nobis libuit, hoc ſchediaſmate allatorum ſymptomatum accuratam tractationem ſuſcipere, ne cauda libelli ipſum corpuſculum mole ſuperet. Paſſim, ut inciderunt, medicamina adjecimus, non quod gregariis quælibet concedantur, paſſim enim & Ducum habebatur ratio, potiſſimum tamen per Euporiſta ſaluti vulgi conſulentes. Lapſis veniam,

niam, conantibus auxilium, viri boni facilè rogati concedent. Nemo interim plagii nos accuſabit, quod brevitatis ergo neminem Doctorum citaverimus, qui libris præſentibus, ad quorum paucitatem patriæ ruina nos coëgit, non tam, quam memoria nitebamur informationis Præceptorum tum vivorum, inter quos honoris ergo nomino D. Sim. Paulli, D. Th. Bartholinum, D. Ol. Borrichium, D. Melch. & Johan. Alb. Sebizios, D. Johan. Rud. Saltzmannum, D. Maur. Hofmann, D. Pan. Jac. Brunonem, D. Paul. de Sorbaith, D. Ferd. Frid. Illmerum, D. Wolff. Sig. Brehmium, D. Marc. Mappum, D. Georg. Francum, &c. &c. tum horum aliorumque librorum, quorum contenta memoria ſuggeſſit. Deus interim jubeat labores noſtros Reipublicæ eſſe ſalutares!

FINIS.

Lect. benev.

Non Argi nobis oculi, non otia dantur,
Corrige quicquid erit ſphalmatis ipſe. Vale.

CATALOGUS LIBRORUM MEDICORUM, &c.

IN OFFICINA

PETRI GOSSE,

HAGÆ COMITUM

Proſtantium.

ACta Phyſico-Medica Academiæ Cæſareæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curioſorum, exhibentia Ephemerides, ſive Obſervationes, Hiſtorias, & experimenta a Celeberimis Viris Germaniæ collecta, 4. 4 *vol. cum fig. Norimb.* 1727.

Alpini (*Proſperi*) Hiſtoria Ægypti Naturalis, 4. 2 *vol. fig. Lugd. Bat.* 1735.

Aquino (*de*) Nomenclator Agriculturæ, 4. *Romæ*, 1736.

Affectum in Libris & Praxi rariſſimum ab. H. Boerhave, in Noſocomio Lugd. Bat. Sanatum deſcripſit Chr. Andr. Koch, 4. *Lugd. Bat.* 1738.

Aſtruc (*Johannis*) de Morbis Veneris Libri Sex, 4. *Pariſiis*, 1738.

Abregé de l'Hiſtoire des Plantes Uſuelles, par J. B. Chomel, 12. 3 vol. Paris, 1731.

Abregé de toute la Medicina pratique, par M. J. Allen, nouvelle edition revue Corrigée & augmentée de plus du Double, 12. 6 vol. Paris 1730.

Agri-

Agriculture Parfaite, par Agricola, 8. 2 vol. fig. Amſt. 1720.

Anatomie Chirurgicale ou Deſcription exacte des Parties du Corps humain de M. J. Palfin, nouvelle Edition, revue corrigée & augmentée par B. Boudon, 8. 2 vol. fig. Paris 1734.

Anatomia al Uſo del Pittori, *fol. fig.*

Art de ſe conſerver la ſanté ou le Medecin de ſoi-même, par Mr. Flamand, 12. Paris, 1692.

Aphoriſmes de Mr. Boerhaave ſur la Connoiſſance & la Cure des Maladies, traduit du Latin, 8. à Rennes, 1738.

Anatomie des Plantes, par Mr. Neh: Grew, & l'Ame des Plantes, par Mr. Dedu, avec un Recueil d'Experiences & Obſervations curieuſes faites par Mr. Grew & Boyle, 12. Leide, 1685.

B.

BAglivi Opera omnia Medico-Practica & Anatomica, 4. *Baſſini*, 1732.

Barbette Chirurgia, opera & ſtudio Jo: Muys, 12. *Amſt.* 1693.

Boneti Polyalthes ſive Theſaurus Medico-Practicus, *fol.* 3 *vol. fig. Genevæ*, 1691.

- - - Sepulchretum, ſive Anatomia Practica cum Obſervat. Jo: Jacob: Mangeti, *fol.* 3 *vol. fig. Geneue*, 1700.

- - - Medicina ſeptentrion. Collatitia, *fol.* 2 *vol. fig. ibid* 1686.

Boerhaave Elementa Chymiæ, 4. 2 *vol. fig. Lugd. Bat.* 1732.

- - - *Id* 4. 2 *vol. fig. Paris* 1733.

Broen Opera omnia Medica, 4. *Neap.* 1721.

- - - (*Joannis*) Animadverſiones Medicæ Theoretico Practicæ, in Henrici Regii Praxin Medicam, 4. *Lugd. Bat.* 1695.

Bartholini (*Thomæ*) Anatomia, 8. *Lugd.* 1684.

Baron Codex Medicamentarius, ſeu Pharmacopœa Pariſienſis, 4. *Pariſiis*, 1732.

Bellini Exercitationes Anatomicæ duæ de ſtructura & uſu Renum ut & de Guſtus Organo novis: deprehenſo, 4. *Lugd. Bat.* 1726.

- - - De Urinis & Pulſibus, de Miſſione Sanguinis, de Febribus, de Morbis Capitis & Pectoris opus cum præfatione H. Boerhaave, 4. *Lugd. Bat.* 1730.

Bennet (*Chriſt*) Tabidorum Theatrum, ſive Phthiſios, Atrophiæ & Hecticæ Xenodochium, item Veſtibulum Tabidorum, 8. *Lugd. Bat.* 1733.

Berneri (*Gott Eph.*) Exercitatio Phyſico-Medica de Efficacia & uſu aëris Mechanico in Corpore Humano, 8. *Amſt.* 1738.

Bohnii (*D. Jo.*) de renunciatione Vulnerum, ſeu Vulnerum Lethalium Examen, 8. *Amſt.* 1732.

Brockhuyſen (*Baj: a*) Oeconomia Animalis, 4. *Amſt.* 1683.

- - - Rationes Philoſophico-Medicæ Theorico-Practicæ, 4. *Hagæ Comit.* 1688.

Borelli (*Joh. Alphonſi*) de Motu Animalium Editio Nova, a plurimis mendis repurgata, ac aucta Diſſertationibus Phyſico Mechanicis de Motu Muſculorum & de Efferveſcentia

tia & Fermentatione Joh. Bernouillii, 4. *Neapoli*, 1734.

Botanicon Pariſienſe, *ou denombrement par ordre Alphabetique des Plantes qui ſe trouvent aux environs de Paris, par Mr. S. Vaillant*, fol. Amſt. 1727.

Burmanni Theſaurus Zeylanicus, exhibens Plantas in Inſula Zeylanica naſcentes, 4. *fig. Amſt.* 1737.

C.

CAii de Canibus Brittannicis Liber unus, de rarioribus Animalibus & Stirpibus, de Libris propriis, de Pronunciatione græcæ & latinæ linguæ, ex recognitione S. Jebb, M. D. 8. *Lond.* 1729.

Conringii (*Herm.*) Introductio in Univerſam Artem Medicam, &c. Nova Editio Aucta 4. *Halæ*, 1726.

Craanen Tractatus Phyſico-Medicus de Homine, 4. *cum fig. Neapoli*, 1722.

- - - Oeconomia Anamalis, 8.

Cuperi (*Gisberti*) de Elephantis exercitationes duæ, *fol. cum fig. Hagæ Comit.* 1729.

Coulet (*Steph.*) Tractatus Hiſtoricns de Aſcaridibus & Lumbrico Lato, 8. *Lugd. Bat.* 1729.

Conſulti Medici, del Signor Dottore Giuſeppe del Papa, 4. *vol. in Roma*, 1733.

Chirurgie Pratique, par le Sr. Sainet Criſtau, 12. Luxemb. 1697.

Curioſitez de la Nature & de l'Art ſur la Vegetation, ou l'agriculture & le Jardingae dans

leur perfection, par Mr. l'Abbé de Vallemont, 8. 2 vol. fig. Bruxelles 1734.

D.

DEventer (*Henr.*) Operationum Chirurgicarum Novum Lumen, 4. *Lugd. Bat.* 1733.

Dolæi Opera Omnia Medico Chirurgica, *fol.* 2 *vol. Huſti* 1703.

Degneri (*Joh: H:*) Hiſtoria Medica de Dyſenteria Bilioſa Contagioſa, 8. *Traject ad Rh.* 1738.

Denys Obſervationes Chirurgicæ de Calculo Renum, Veſicæ, Urethræ, Lithotomia, & Veſicæ Punctura, 8. *Lugd. Bat.* 1731.

Douglas (*Jacobi*) Deſcriptio Peritonæi, 8. *Lugd. Bat.* 1737.

Dureti (*Ludovici*) Interpretationes & Enarrationes in Magni Hypocratis Coacas Prænotiones, curante, qui & Præfationem adjecit, A. P. Chrouet, Editio Nova, *fol. Lugd. Bat.* 1737.

Douglas (*Jvcobi*) Deſcriptio Comparata Muſculorum Corporis Humani & Quadrupedis; eorum inventores, ortus, progreſſus, inſertiones, actiones, ac differentias exhibens. Cui acceſſerunt Hiſtoria Muſculorum Fæminæ Singularium Tabula, explicans Muſculorum Nomina, plurimique Neceſſarii Indices, 8. *Lugd. Bat.* 1738.

Dalei (*Samuelis*) Pharmacologia ſeu Manuductio ad Materiam Medicam, 4. *Lugd. Bat.* 1738.

Deſcri-

Deſcription Anatomique des Parties de la Femme qui ſervent à la Generation, avec un Traité des Monſtres, par Jean Palfyn, 4. Leide, 1708.

Dictionnaire Oeconomique, contenant divers moyens d'augmenter ſon Bien, & de conſerver ſa ſanté, avec pluſieurs Remedes aſſurés & approuvés pour un grand nombre de Maladies, & des beaux ſecrets pour parvenir à une longue & heureuſe vieilleſſe, &c. fol. 2 vol. fig. Lyon, 1732.

- - - - - - *ou Traité Univerſel des Drogues ſimples, par N. l'Emery*, 4. fig. Rott. 1727.

Deſcription Phyſique ſur la force de l'imagination des Femmes enceintes ſur le Fetus, par Jacques Blondel, traduit de l'Anglois, par A. Brun, 8. Leyde, 1737.

E

EUlalii (*Sevaſtani*) Botanicorum Libri, Vanierii Prædium Ruſticum, Couleji Poëmata, Rapini Hortorum Libri, 8. 4 *vol. Sub Prælo.*

Ettmuleri Opera omnia Medica, *fol.* 5 *vol. Geneve*, 1736.

- - - - - - Compendium Medicinæ Univerſæ, 8. 2 *vol. Bas.* 1724.

Euſtachii (*Bart.*) Tabulæ Anatomicæ, cum Prefatione & Notis Jo: Mar. Lanciſii, *fol. fig. Romæ*, 1727.

Engliſh Herbal: Or, Hiſtory of Plants by William Salmon M. D. fol. fig. Londini, 1710.

Eclairciſſement concernant la maniere dont l'air agit ſur le Sang dans les Poulmons, par Mr. Helvetius, 4. Paris, 1728.

Emmenologie ou Traité de l'Evacuation ordinaire aux Femmes, où l'on explique les Phenomenes, les Retours, les Vices, & la Methode curative, qui la concernent ſelon les Loix de la Mechanique, par Mr. Freind, 12. Paris, 1730.

Eſſai ſur la ſanté, & ſur les moyens de prolonger la Vie, traduit de l'Anglois de Mr. Cheyne, 12. Paris, 1725.

- - - - *d'Optique ſur la Gradation de la Lumiere, par Mr. Bouguer*, 12. Paris, 1729.

F.

FAntoni Obſervationes Anatomico-Medicæ, 4. *Venet.* 1713.

- - - - - - - Anatomia Corporis Humani, 4. *Aug. Taurin.* 1711.

Fieni (*Thomæ*) Libri Chirurgici Duodecim, de Præcipius Artis Chirurgicæ controverſiis, Opera Poſthuma H. Conrigii Cura Edita, 4. *Lond.* 1733.

Frank (*D. Georgii*) Satyræ Medicæ XX. quibus accedunt Diſſertationes VI. Varii ſimul & Rarioris Argumenti, una cum Oratione de Studiorum Noxa, 8. *Lipſ.* 1722.

Fabricii (*Hieron.*) ab Aquapendente Opera omnia

omnia Anatomica & Phyſiologia cum Indice & Præfatione B. S. Albini, *fol. fig. Lugd. Bat.* 1738.
Fevre (*Jo. Fr. la*) Opera Medica, 4. 2 *vol. fig. Paris* 1737.
Freind Opera omnia Medica, 4. *Pariſiis* 1735.
Fortis (*Raymundi Joan*) Conſilia de Febribus & Morbis Mulierum Facile Cognoſcendis atque Curandis, *fol. Patavii* 1701.

G.

GLandorpi Opera omnia Medica, 4. *London.* 1729.
Goelikke Hiſtoria Medecinæ Univerſalis, 8. *Francof* 1721.

H.

HArderi (*Joh Jacob*) Theſaurus Obſervationum Medicarum rariorum Experimentis Phyſico Medicis pluribus nec non Scholiis & Iconibus Elegantiſſimis, accuratiſſimisque Illuſtratus, 4. *Baſiil.* 1736.
Henkelii (*D. J. Fr.*) Medicorum Chymicorum non ultimum Conjunctionis primum appropriatio, in argenti, cum acido Salis communis Combinatione experimento novo cum Aliis Noviter Obſervatis, 8. *Dresdæ & Lipſiæ*, 1727.
Heiſteri Compendium Anatomicum, totam rem Anatomicam breviſſimè Complectens, 8. 2 *vol. fig. Norimb.* 1727.

Havers

Havers (*Clopton*) Novæ quædam Obſervationes de Oſſibus, 8. *Lugd. Bat.* 1734.

Harvei (*Gulielmi*) exercitationes Anatomicæ de Motu Cordis & Sanguinis in Animalibus, &c. 4. 2 *vol. Lugd. Bat.* 1737.

Hermanni (*Jacobi*) Phoronomia ſive de Viribus & Motibus Corporum ſolidorum & Fluidorum, Libri Duo, 4. *Amſt.* 1716.

Hippocratis Aphoriſmi cum Notis Variorum, 8. *Sub Prælo.*

Hoffmanni (*Caſpari*) de Medicamentis Officinalibus, Libri Duo, 4. *Lugd. Bat.* 1738.

- - - - - - - (*Frederici*) Medicinæ Rationalis Syſtematicæ, 7 *vol.* 4. *Francofurti*, 1738.

- - - - - - - Medicus Politicus, ſive Regulæ Prudentiæ ſecundum quas Medicus juvenis ſtudia ſua & vitæ rationem dirigere debet, 8. *Lugd. Bat.* 1738.

- - - - - - - (*Jo. Maur.*) Syntagma Pathologico-Therapeuticum, 4. *Lipſiæ*, 1728.

- - - - - - - (*Fr.*) Conſultationes & reſponſa Medicinalia, 4. 2 *vol. Francof.* 1734.

Hippocratis Aphoriſmi, 24. *Neapoli*, 1734.

Hiſtoire Naturelle de l'Univers, par Mr. Colonne, 12. 4 vol. Paris, 1734.

- - - - *des Plantes de l'Europe, & des plus Uſitées, qui viennent d'Aſie, d'Afrique & d'Amerique*, 12. 2 vol. fig. Lyon, 1726.

- - - - *Generale des Inſectes par Jean Swammerdam*, 4. fig. Utrecht, 1685.

- - - - *de la Mediaine, traduit de l'Anglois, par J. Freind*, 4. Paris, 1728.

- - - - *de la Medicine, par Daniel le Clerc*, 4. Amſt. 1723.

I.

JAckſon (*Joh.*) Enchiridion Medicum Theorico Practicum, 12. *Amſt.* 1697.

Jonſtoni (*Joh.*) Thaumotographia Naturalis, 12. *Amſt.* 1665.

Introductio ad Notitiam Rerum Naturalium, & Arte factarum, quarum in communi Vitæ, ſed præcipue in Medicina, uſus eſt, &c. per alphabeti Ordinem digeſſit. Joh: Chriſt: Rieger, 4. 4 *vol. Sub Prælo.*

K.

KOnig (*Em.*) Regnum Vegitabile Quadripartitum, 4. *Baſil*, 1708.

- - - - Regnum Minerale, Generale & Speciale, 4. *Ibid*, 1703.

- - - - - - - - Animale, 4. *Ibid*, 1698.

Kundmanni Promptuarium Rerum Naturalium, 4. *Vratisl.* 1726.

Kaau (*Abrahami*) Perſpiratio dicta Hippocrati, per Univerſum Corpus Anatomice Illuſtrata, 8. *Lugd. Bat.* 1738.

L.

LAncifii (*Jo. Mar.*) Diſſertatio Hiſtorica de Bovilla Peſte, 4. *Romæ*, 1715.

- - - - de Noxiis Paludum Effluvius eorumque Remediis Libri Duo, 4. ibid 1717.

- - - - de Motu Cordis & Aneurysmatibus Opus Poſthumum, 4. *fig. Neapoli* 1738.

Lethiculler Obſervationes Medico Practica; 12. *Paris* 1732.

Linnæi (*Caroli*) Bibliotheca Botannica, 8. *Amſt.* 1736.

- - - - Flora Lapponica exhibens Plantas per Lapponiam Creſcentes, ſecundum Syſtema Sexuale collectas in Itinere, &c. 8. *fig. Amſt.* 1737.

Liſter (*Martini*) Octo Exercitationes Medicinales de quibusdam Morbis Chronicis, 8. *Amſt.* 1698.

Lower (*Richardi*) Tractatus de Corde, item de Motu Colore & Transfuſione Sanguinis & de Chyli in eum Tranſitu ut & de Venæ ſectione, &c. 8. *Sexta Ed. Lugd. Bat.* 1728.

Lommii (*Jod.*) Obſervationes Medicinales, 8. *Amſt.* 1738.

Lettre de Bagni *de Petrivolo, ſcritta al excellentiſſimo Signor Alton. Frani* Bertini, *celebre Proff. di* Medicina *in Firence, dal Dottor Flamino Pinelli*, 4. in Roma 1716.

Lettres Philoſophiques ſur la Formation des Sels & des Chryſtaux & ſur la Generation & le Mechaniſme Organique des Plantes & des Animaux, &c. par Bourguet, 12. Amſt. 1729.

M.

MAngeti Bibliotheca Scriptorum Medicorum veterum & recentiorum, *fol.* 4 *vol. Genevæ* 1731.

- - - - - - - Pharmaceutica Medica, *fol.* 2 *vol. ibid* 1703.

- - - - - - - Anatomica, cum Notis & Obſer-

ſervationibus Jo: Jacobi Mangeti, *fol.* 2 *vol. fig. ibid* 1699.
- - - - - - Chymica Curioſa, *fol.* 2 *vol. fig. ibid* 1702.
- - - - - - Chirurgica, *fol.* 4 *vol. ibid* 1721.
- - - - - - Medico Practica, 4 *vol. fol. Genevæ* 1645.
- - - Theatrum Anatomicum, adjectæ ſunt B. Eutachii Tabulæ Anatomicæ, 2 *vol. fol. fig. ibid* 1717.
Malpighii Opera Poſthuma, quibus Animadverſiones addidit Fauſtinus Gavinellus, *fol. cum fig. Venetiis* 1698.
Martianus in Hippocratem, *fol. Patavii* 1719.
Mercati (*Michaëlis*) Metallotheca, Opus Poſthumum, Opera & Studio J. M. Lanciſii, *fol. cum fig. Romæ* 1729.
Mead (*Richardi*) Oratio Anniverſaria Harveianæ, a Smyrnæis in Medicorum Honorem percuſſis, 8. *Lugd. Bat.* 1728.
Monti (*Joſeph.*) Catalogi Stirpium agri Bononienſis Piodromus ad hujus modi affinia complectens, 4. *Bon.* 1719.
Mercurialis variæ Lectiones, 8. *ſub Prælo.*
Moriſon (*Rob:*) Hiſtoria Plantarum Univerſalis Oxonienſis, *fol.* 3 *vol. cum fig. Oxon.* 1715.
- - - id *fol.* 2 *vol. cum fig. ibid.*
Muſſchenbroek Tentamina experimentorum Naturalium Captorum in Accademia del Cimento ſub auſpiciis S. Principis Leopoldi, 4 *fig. Lugd. Bat.* 1731.
Mynſicht (*Hadriani*) Theſaurus & Armamentarium Chymicum, 8. *Francof.* 1675.

Mead (*Richardi*) Mechanica Expoſitio Venenorum variis Diſſertationibus comprehenſa, 8.*Lugd.* Bat. 1737.

Michelii (*Petri Ant:*) nova Plantarum genera juxta Tournefortii Methodum diſpoſita, *fol. fig. Florentiæ* 1728.

Morgagni (*Jo: Bapt.*) Epiſtolæ Anatomicæ, 4. *Lugd. Bat.* 1728.

- - - Epiſtolæ in Aur. Celſum, 4. *Lugd. Bat.* 1735.

Munnicks (*Jo:*) Chirurgia, ad Praxin Hodiernam adornata in qua Veterum Pariter, ac Neotericorum dogmata dilucidè exponuntur, 4. *Neapoli* 1735.

Muys (*Joannis*) Praxis Medico-Chirurgica Rationalis, 4. *Neapoli* 1727.

M*onticelli Parere circa il Salaſſo, una delle due Colonne della Galenica* Medecina, 4. Venet. 1704.

M*uratori Dettaglio della* Peſte *di* Mar*ſiglia*, 8.

Memoires pour ſervir à l'Hiſtoire des Inſectes, par Mr. de Reaumur, 4. 3 *vol. fig. Paris* 1734.

Medecine Dogmatique, Mechanique, en Maniere *d'Inſtitution, par* Bellefontaine, 12. 2 vol. Amſt. 1712.

- - - *Univerſelle, ou l'Art de ſe conſerver en ſanté, & de prolonger ſa Vie, par Mr. de Comiers*, 12. Bruxelles 1688.

Merian (Marie Sybilli) *Hiſtoire des Inſectes de Suriname*, fol. fig. Haye 1726.

Medicine Naturelle, par Mr. Hecquet, 12. vol. Paris 1738.

Memoires pour ſervir à l'Hiſtoire Naturelle de la Province de Languedoc, 4. fig: Paris 1737.

Me-

Methode pour bien cultiver les Arbres à Fruit, & pour élever les Treilles, 8. Utrecht 1738.

- - - *d'Operations de Chirurgie, avec deux Traitez, l'un de la nouvelle maniere de guerir la Verole, & l'autre les maladies de l'Eſtomach*, 12. Paris 1693.

N.

Nouvelles Methode *pour guerir les* Maladies *Veneriennes, par N. de Heins*, 12. Amſt. 1706.

- - - *Decouvertes en Medicine, ou ancienne Medicine developée, par le Sr. Marconnay*, 12. Haye 1731.

O.

Obſervations ſur la Saignée du Pied, & ſur la Purgation au commencement de la petite Verole, des Fievres malignes, & des grandes maladies, 12. Paris 1724.

Operations de Chirurgie, par J. de la Charriere, 12. Paris 1692.

Obſervations Phyſiques & Mathematiques pour ſervir à l'Hiſtoire Naturelle, & la perfection de l'Aſtronomie & de Geographie, avec les Remarques de Mrs. de l'Accademie, &c. 8. Paris 1737.

- - - *de Medicine & Chirurgie faites dans les Hoſpitaux du Roi, par Mr. Wagret*, 8. Paris 1717.

- - - *importantes ſur le Manuel des Accouchemens traduit du Latin de Deventer, & augmentée de Reflexions, par Jac. Jean Bruier d'Ablaincourt*, 4. fig. Paris 1734.

P.

PAſcoli [*Alex*] de Homine, ſive de Corpore Humano Vitam habente, ratione tum proſperæ tum afflictæ Valetudinis, 4. 3 *vol. cum fig. Romæ* 1728.

Pharmaceuticum Ratisbonenſe, *fol. Rat.* 1727.

Pitcarnii Opera omnia Medica, 4. *Lugd. Bat.* 1737.

- - - Diſſertations Medicæ, 4. *Edinburg* 1713.

Pharmacopœa Dordracena Galenico-Chymica, 12. *Dord.* 1722.

Peyeri Parerga Anatomica & Medica, 8. *L. Bat.* 1736.

Pharmacopœa Amſtelodamenſis, 12. *Lugd. Bat.* 1701.

- - - Extemporanea, per Thomam Fuller, 8. *Lugd. Bat.* 1734.

- - - Bateana, 8. *ibid* 1734.

Plateri Felicis Praxis Medicæ, 4. 3 *vol. Baſil* 1736.

Piſonis [*Carl.*] Obſervationes ſelectiores & Conſiliorum dè Prætervịſis hactenus Morbis affectibusque præter Naturam, ab aqua ſeu ſeroſa Colluvie & Deluvie Ortis, cum Præf. H. Boerhaave, 4. *Lugd. Bat.* 1733.

Piſani [*D. Januar.*] Iconologia Naturalis, ſive Elucidarium Iconologicum, & Micrologia Methodica, 4. 2 *vol. Neapoli* 1737.

Portii [*L. Ant.*] Opera Omnia Medica, Philoſophica & Mathematica, 4. 2 *vol. Neapoli* 1736.

Paſcoli della Febbri Theorica e Practica ſecundo il nuouo Syſtema, 4. Venezia 1701.

- - - *il Corpo Umano, o breve ſtoria dove con*

nuovo

nuovo Metodo *ſi deſcrivono in Compendio tutti gli Organi Suoi, e i loro principali Ufizi, per inſtruire a bene intendere, ſecundo il nuovo Siſtema, la Teorica, e Pratica* Medicinale, 4. ibid 1727.

- - - *de* Moto *che nei* Mobili *ſi Rifonde per impulſo Eſteriore, Trattato Fiſico* Matematico, 4. in Roma 1723.

Pratica delle principali, e piu difficile Operazione di Chirurgia che reguardano il Profeſſore Litotomo, ed Oculiſta; diviſa in quindici Capitoli da Girolama Marini, 8. Romæ 1723.

Portii [*L. Ant.*] de Militis in Caſtris Sanitate Tuenda, Editio Noviſſima prioribus longe correctior, ut et Jo: Val: Willii Tractatus de Morbis Caſtrenſibus, 8. *Hagæ Comit.* 1739.

Paralelle des Eaux Minerales actuellement chaudes & actuellement froides, du Dioceſe & Païs de Liege, avec un avis au Public pour le preſerver de la Peſte, & d'autres maladies, par J. F. Bre*ſmal*, 8. Liege 1721.

- - - *des differentes manieres de tirer la Pierre hors de la Veſſie, par le Dran*, 8. Paris 1730.

Principes de la Nature ſuivans les opinions des anciens Philoſophes, 12. 2 vol. Paris 1725.

- - - *de la Nature ou de la Generation des Choſes, par Mr. Colonne*, 12. Paris 1731.

Q.

Q*Uintinye [de la] Inſtruction pour les Jardins Fruitiers & Potagers, avec un traité des Orangers, & des Reflections ſur l'Agriculture*, 4. 2 vol. Paris 1730.

R.

RAmazzini [*Bern:*] Opera omnia Medica & Phyſiologica, 4. *Genevæ* 1717.

Ridley [*Ham:*] Obſervationes quædam Medico Practicæ & Phyſiologicæ; inter quas aliquanto fuſius agitur de Aſthmate & Hydrophobia, &c. 8. *Lugd.* B*at.* 1738.

Roſetti [*Jo: Th:*] Syſtema novum Mechanico Hippocraticum de Morbis Fluidorum, & Solidorum, ac de Singulis ipſorum Curationibus, opus Theorico practicum, *fol. Venet.* 1734.

Recueil & ſuite des Remedes Faciles & Domeſtiques, Recueillies par Mme. Fouquet, 12. Amſt. 1738.

- - - *des Methodes experimentées & familieres, pour traiter les principales Maladies, par Mr. Helvetius*, 12. Haye 1737.

Reflexions ſur les Playes ou la Methode de proceder à leur Curation, par Faudacq, 8. Paris 1736.

Ricreatione dell Occhio e della M*ente nell Obſervation delle Chiocciole: propoſta a Curioſi delle Opere della Natura da Phil* Buananni, 4. in Roma 1681.

Rohault Oſſervazioni Anatomico Fiſiche, 4. Torino 1724.

Recueil de differens Traitez de Phyſique & d'Hiſtoires naturelles, par Mr. Deslandes, 8. fig. Paris 1736.

Remarques ſur l'Abus des Purgatifs & des A-

mers,

mers, au commencement & à la fin des Maladies, 12. Paris 1729.

Rohault Traitez des Playes de Tete, 4. Tur. 1720.

- - - *Reponſe à Mr. Winſlow ſur la Critique faite à ſon Memoire de la circulation du Sang de Foetus Humain, Ital. & Franc.* ibid 1728.

- - - *Diſcours concernant les differens changemens qui arrivent à la circulation de Foetus renfermé dans le Sein de ſa Mere*, 8.

S.

SCheuchzeri Herbarium Diluvianum collectura, *fol. fig. Lugd. Bat.* 1723.

Schurigii Sialologia Hiſtorico Medica, hoc eſt de Infantis Humani Conſideratio Phyſico Medica Forenſis, 4. *Dresdæ* 1723.

- - - Muliebria Hiſtorico Medica, hoc eſt partium genitalium Muliebrium Conſideratio Phyſico Medica Forenſis qua pudendi Muliebris partes tam externæ quam internæ, &c. 4. *ibid.* 1729.

- - - Parthenologia Hiſtorico Medica Virginitatis conſideratio, qua ad eam pertinentes Pubertas, & Menſtruatis, cum Ipſarum Maturitate, &c. 4. *ibid.* 1729.

- - - Gynocologia Hiſt. Medica, hoc eſt congreſſus Muliebris conſideratio Phyſico Medica Forenſis, qua utriusque Sexus Salacitas & Caſtitas Deinde Coitus ipſe ejusque Voluntas, &c. exhibentur; 4. *ibid.* 1730.

- - - Syllepſiologia Hiſtorico Medica, hoc eſt conceptioni Muliebris conſideratio Phyſico Medica Forenſis, qua ejusdem Locus Organa, Materia in Atretis ſeu Imperforatis, item ſigna & Impedimenta, & 4. *ibid.* 1731.

- - - Embryologia Hiſtorico Medica hoc eſt Infantis Humani Conſideratio Phyſico-Medica Forenſis, 4. *ibid.* 1722.

- - - Chylologia Hiſtorico Medica, hoc eſt Chyli Humani, ſive Sucæ Hominis Nutritu conſideratio Phyſico Medico Forenſis, 4. *Dresdæ* 1725.

Schola Botannica, ſive Catalogus Plantarum quas ab annis aliquot in Horto Regio Pariſienſis ſtudioſis indigitavit J. P. Tournefort, 12. *Amſt.* 1699.

Schmitzii [*Joh: And:*] Compendium Medicinæ Practicæ, 12. *Ultr.* 1682.

Schamskii Promptuarium Parvum Medico Practicum, 4. *Norimb.* 1714.

Schwenke [*Thoma*] Rari Caſus Explicatio Anatomico Medica, 8. *Hagæ* 1733.

Sellii [*Godofr.*] Hiſtoria Naturalis Teredinis ſeu Xylophagi Marini, Tabulo Conchoidis ſpeciatim Belgici, 4. *Traj. ad Rh.* 1733.

Stentzelii [*Chr. God.*] Medicina Theorico Practica Aphoriſmis, 8.

- - - Liber de Veneris, 8. *ibid* 1739.

Stahlii Fundamenta Chymiæ Dogmatica & experimentalis, 4. *Norimb.* 1723.

- - - Experimenta, Obſervationes, animadverſiones, CCC. Numero Chymicæ & Phyſicæ, 8. *Berolini* 1731. Syden-

Sydenham [*Thomæ*] Opera Medica, 4. 2 *vol. Genevæ* 1736.

Schelhameri [*G. Ch.*] de Nitro cum Veterum, tam Noſtro Commentatio, 8. *Amſt.* 1709.

Swammerdami [*Jo.*] Miraculum Naturæ, ſive Uteri Muliebris Fabrica, 4. *Lugd.* B*at.* 1729.

Sinibaldi [*Jacobi*] Parva Methodus Medendi ſive Animadverſiones Practicæ, 8. *Romæ* 1707.

Santorini Obſervationes Anatomicæ, 4. *Lugd.* B*at.* 1739.

- - - de Partu Solido, Lat. & Ital., 4. *in Venezia* 1727.

Sancaſſani [D. And.] *Dilucidazioni Fiſico-*Medi*che*, fol. in Roma 1731.

Siſtema nuova dell Origine, o Principio della Podagra e ſuo Remedico Opera Fiſico-Medico *Chimica di* M. *Pinelli*, 4. in Roma 1734.

Statique des Vegitaux, & l'Analyſe de l'Air, experiences nouvelles lues à la Societé Royale de Londres, par Mr. Hales, 4. fig. Paris 1735.

Spectacle de la Nature, ou Entretien ſur les Particularitez de l'Hiſtoire Naturelle, 12. 3 tom. 6 vol. Utrecht 1736.

Syſteme de Mr. Boerhaave *ſur les Maladies Veneriennes, traduit en François, par Mr. de la Mettrie*, 12. Paris 1735.

T.

T.

TAchenii [*Ottonis*] Hippocrates Chimicus, 12. *Lugd.* Bat. 1671.

Teichmeyeri Inſtitutiones Medicinæ Legalis vel Forenſes, 4. *Jenæ* 1731.

Tillii Catalogus Plantarum Horti Piſani, *fol. fig. Florentiæ* 1723.

Tozzi [*Lucæ*] Opera Omnia Medica, 4. 5 *vol. Venet.* 1728.

Tournefort [*Jo: Pitton*] Inſtitutions Rei Herbariæ, 4. 2 *vol cum Multis figuris Paris* 1719.

Torti Therapeutica Specialis ad Febres periodices perniciofas, 4. *Venetiis* 1732.

Terranei [*Laurentii*] de Glandulis Univerſum & Speciatim ad Urethrum Virilem novis, 8. *Lugd.* Bat. 1729.

Thomæ [*Johannis*] Tractatus de Noxia Animalium, 8. *Francof.* 1690.

Teatro Formaceutico Dogmatico, e Spaginico dell Dottore Giuſeppe Donzelli, fol. fig. in Roma 1677.

Trattato dell Acque Correnti, deviſo in tre Libri dal Cavalier Carlo Fontana, fol. fig. in Roma 1696.

Traité des Inſtrumens de Chirurgie les plus utiles, par Garengeot, 12. 2 vol. fig. Paris.

- - - *des Operations de Chirurgie, par Garengeot*, 12. 3 vol. fig. Paris.

- - - *du bon chyle pour la Production du Sang*, 12. 2 vol. Paris. 1735.

de

- - - *de la Vertu des Medicamens, traduit du Latin, de Mr. H.* Boerhaave, 12. Paris 1729.
- - - *General des Accouchemens, par Mr. Dionis*, 8. Paris 1724.
- - - *de Chemie, par M. Malouin*, 12. Paris 1734.
- - - *Complet de Chirurgie, par M. de la Mothe*, 12. 4 vol. Paris 1732.
- - - 12. 3 vol. ibid 1722.
- - - *de l'uſage des differentes ſortes de Saignées, par Sylva*, 12. Amſt. 1729.
- - - *des Abeilles*, 16. Paris 1720.

Traité de la Communication des Maladies, & des Paſſions avec un Eſſai pour ſervir a l'Hiſtoire Naturelle de l'Homme, 8. Haye 1738.

V.

VAlſalvæ de Aure Humana Tractatus, 4. *fig. Lugd.* Bat. 1735.

Valfre Obſervaiiones Aſtronomico-Medicæ & Digreſſiones, 4. 1714.

Veſalii Opera Omnia Anatomica & Chirurgica, cura H. Boerhave & B. S. Albini, *fol.* 2 *vol. fig. Lugd.* Bat.

Verheyen (*Philippe*) Anatomia Corporis Humani, 8. 2 *vol. cum fig. Lipſiæ*, 1731.

- - - id, 4. 2 *vol. Neapoli*, 1717. *avec fig.*

Valiſneri Opere Fiſico, Mediche, Stampata e Manoſcrite, fol. 3 vol. con fig. Venezia, 1733. & ſeqq.

W.

WArtonii [*Sim.*] Schola Botanica, 12. *Amſt.* 1699.

Wucherer Semiothica Specialis, ſigna Diagnoſtica & Pronoſtica Morborum, Cauſarum Morbicarum atque Symptonatum Corpus Humanum ad ficientuim, 4. *Jenæ*, 1722.

Wepferi [*Joh: Jac:*] Hiſtoriæ Apoplecticorum, 8. *Lugd.* B*at.* 1734.

Wiel [*C. Stalpertii van der*] Obſervationes rariores Medic. Anatom. Chirurgicarum, 8. 2 *vol. Leidæ*, 1727.

Wepferi Hiſtoria Cicutæ aquaticæ, 8. *fig. Lugd.* B*at.* 1733.

Walſchmidt [*Joh. Jac.*] Opera Medico Practica, 4. 2 *vol. Lugd.* 1736.

Z.

ZWingeri Pædojatrea Practica, curationem plerumque Morborum Puerilium per Meras Obſervationes in Praxis factas, 8. 2 *vol.* B*aſil.* 1722.

Zelſt [*Th. van*] Libellus Singularis de Podagra, & Dolore Colico ſcorbutico ſimili, Pictonico Æmulo, 8. *Amſt.* 1728.

FINIS.